DE RITIBUS SINENSIUM ERGA CONFUCIUM PHILOSOPHUM, ET PROGENITORES MORTUOS ALEXANDRI PAPAE VII. DECRETO PERMISSIS,

Adversùs librum inſcriptum, Hiſtoria cultûs Sinenſium, &c.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo ... & Proximum, ſicut teipſum. Luc. c. 10. 27.
Euntes in mundum Univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Marc. c. ult.

LEODII, & VENETIIS.

M. DCC.

2

AD VIRUM NOBILEM.

DECRETUM

Alexandri Papæ VII. de ritibus Sinenſium permittendis.

MANDATUM

Reverendiſſimi Domini Maigrot de iiſdem prohibendis.

OBSERVATIONES

in utrumque.

GAUDEO, Vir Nobiliſſime, perjucundas, ut ſcribis, accidiſſe tibi priores litteras, quibus fateris ſolidè probatum, quanta ſit gravitas

cauſæ, quæ nunc Romæ agitatur circà ritus Sinenſium; quid intendant Jeſuitæ in ea tuenda; quàm diſpari conditione pugnent ex utraque parte pro vel contrà contendentes; quàm falſum ſit Confucium, & Progenitores mortuos coli in China ut Deos, vel ut Sanctos. Quin etiam audivimus indignari te non parùm, ex quo præliminarem hanc quæſtionem examinaſti, de ſparſis per totam Europam contrà Chriſtianos Sinas, eorùmque è Societate Miſſionarios rumoribus, quaſi ritus idololatricos hi permitterent, illi adhiberent.

Nunc rogas communicari tibi Alexandri Septimi Decretum circà ritus illos; necnon Reverendiſſimi Mandatum, quo permiſſas iſto Decreto cæremonias prohibet; uti & obſervationes, ſi fieri poteſt, in idem Mandatum Sacræ Congregationi exhibitas. Jubenti obſequar eò libentiùs, quò faciliùs eſt tibi ea in re facere ſatis, cùm Adver-

ſarii

ſarii Jeſuitarum in ſua cultûs Sinenſium hiſtoria Libellum ſupplicem, obſervationes hujuſmodi continentem, typis ediderint cum diſpunctionibus, & notis, à quibus plenè, ni fallor, vindicatas illas accipies.

Et primò quidem neceſſe eſt, ut exponam, quæ fuerit occaſio tot diſſidiorum in China inter Evangelii Præcones: ſic enim meliùs quid ſit rei innoteſcet. Hæc autem omnia deſumuntur ex Apologia, de qua priùs.

OCCASIO DISSIDIORUM in China inter Miſſionarios.

ANno 1581. Patres Societatis Jeſu in Chinam ingreſſi, indefeſſo ſtudio, ut ait P. Philippuccius, diuturnis, & improbis laboribus, ſummâque ſedulitate per plurimos annos in addiſcendam Sinenſem linguam, & perfectam characterum, librorum, rituum, ac morum notitiam obtinendam

toto niſu incubuerunt.

Deprehenſum eſt ab illis facilè duas eſſe præcipuas in China ſectas, Litteratorum, & Idololatrarum: hanc Idolis abundare, quorum multa vocant *Tiē-chū*, hoc eſt, Cœli Dominum: illam Idola deteſtari, atque, ut ex libris claſſicis patet, unum Numen venerari ſub vocibus *Xām-tī*, & *Tiēn*, quarum altera Summum Imperatorem deſignat, altera Cœlum; quæ ultima vox non ſolùm pro materiali Cœlo ſumitur apud Sinas, ſed etiam ſæpiſſimè pro ipſo Deo ſummè ſapiente, & intelligente, compenſante bonos, malos puniente, adminiſtrante omnia, ut infrà clarè apparebit. In eodem ſenſu ſe in Cœlum peccaſſe dolebat in Evangelio Prodigus: atque quotidiè cum Scripturis ſacris aſſerimus expectandum eſſe à Cœlo auxilium, hoc eſt, à Deo.

Adnotarunt præthereà Miſſionarii Litteratos, deditam erga viventes homines innumeris cæremoniis gen-

tem, adhibere quoque varios ritus erga Confucium Philoſophum, ac Progenitores mortuos, qui ritus primo intuitu his non aſſuetos Europæorum oculos offendebant, quaſi ſpeciem aliquam Sacrificii continerent: ſed viri prudentes, ac docti ſimul adverterunt, non eſſe ex ſola apparentia externa judicandum de iſtis ritibus, quos maximè adhibet Secta Idolorum aſpernatrix.

Sanè nec ipſi vellemus Idololatras ex ſolis externis ritibus judicium ferre de nobis. Veniant enim in Europam duo hujuſmodi Sinæ, & oculis Idololatriæ aſſuetis in Eccleſias noſtras ingreſſi, videant collocatas in Altari B. Virginis, aut Apoſtolorum Imagines, ac Statuas, coràm procumbentes Chriſtianos inſpiciant, multa orantes, & litantem Sacerdotem, cereis undequaque accenſis, &c. ſe prudenter agere putabunt Sinæ hujuſmodi, ſi Statuas illas ipſi credant, & ſcribant ad ſuos in Chinam

eſſe totidem Pagodas, & Chriſtianorum Idola, in quibus & aliqua virtus agnoſcitur, & deprecantium reponitur fiducia: quæ tamen omnia eſſe falſiſſima, nemo Chriſtianorum ignorat.

Proptereà primi Societatis in China Miſſionarii, ſapienter judicarunt, ex ſola rituum apparentia definiri nec poſſe, nec debere, quales eſſent iſti ritus, an religioſi, an civiles ac politici, præſertim apud Litteratos, ut dixi, Idolorum contemptores: ac proindè rem altiùs eſſe repetendam: conſulendos nimirùm ea de re viros doctos, Fideles, atque Infideles; volvendos inprimis claſſicos illius Gentis libros; diſcendum in illis, quo fine fuerint inſtitutæ hæ cæremoniæ? Quid intendant communiter, qui has adhibent? Quid ſentiant de Confucio, de Progenitoribus mortuis? An aliquam Numinis partem in iis agnoſcant? an aliquid ab eis vel ſperent, vel poſtulent?

Hæc

Hæc cùm diù, multùmque examinaſſent ſoli tunc in China Societatis Miſſionarii, eam ob rem ſæpiùs inter ſe omnes collecti, in id tandem convenerunt, Confucium Philoſophum, & Progenitores mortuos, juxtà communem Litteratorum mentem, nihil prorsùs Numinis habere; illum coli ut Imperii Magiſtrum, ob doctrinam; hos ut Parentes, ob vitam ab illis acceptam: nihil ſperari ab illis juxtà leges Imperii; nihil peti; ritus illos eſſe primùm inſtitutos ad teſtandam animi gratitudinem; inſerviendo adhuc mortuis, ut inquiunt, quaſi eſſent ſuperſtites: imò inſtitutos potiſſimùm in gratiam viventium, *ut ſcilicet filii, & alii rudiores doceantur, quâ ratione vivis Parentibus obſequendum eſt, quos viderint etiam vitâ functos*,(*a*)inquiebat P.Riccius Miſſionis Sinicæ Fundator, *à graviſſimo, & ſapientiſſimo quoque tot officiis honeſtari*. Unde concludebant permitti

(a) *Lib.* 1. *c.* 10.

mitti Neophytis poſſe illos ritus, ut civiles ac politicos, ſublatis tamen ſuperſtitioſis, ſi quos tales, ut fieri ſolet, temporis decurſu addidiſſent vel indocti, vel impii; & eò magis poſſe permitti, vel debere, quò certiùs conſtaret horum prohibitione, fidei januam & ſalutis claudi innumeris planè hominibus. Enimverò quemadmodùm eſt illicitum mala facere, ut eveniant bona; ita prohibere quæ mala non ſunt, ſi prohibitio hujuſmodi ſit fons, & origo graviſſimorum malorum.

Fuit alia controverſia inter Miſſionarios Societatis jam inde ab initio circà voces, quibus in China compellandus eſſet Deus; nonnullis contendentibus adhibendas eſſe voces Europæas, & aliis negantibus: donec tandem, re benè diſcuſsâ, iterùm convenerunt Sinicis utendum eſſe vocabulis, & ita Deum, Optimum, Maximum nuncupandum eſſe in China *Tiēn-chū*, ut, cùm opus eſſet, diceretur quoque *Xām-tī*, & *Tiēn*. Sic

Sic vixêre quinquaginta annorum ſpatio ſoli in China Societatis Miſſionarii, in vinea Domini laborantes, atque Deo labores eorum adjuvante, & largiùs compenſante, per millia Inſidelium ad veram Chriſti fidem converſorum; cùm aliqui ex aliis Ordinibus Miſſionarii circà annum 1631. in Chinam advenientes, poſt aliquot annos inſurrexerunt contrà ritus in honorem Confucii, atque Progenitorum ſolitos adhiberi: quorum unus, nempè P. Joannes Baptiſta Morales ex Sacro Ordine Sancti Dominici, ex China Romam petiit, ibìque poſt expoſitos ſuo modo Sacræ Congregationi Rituum, quaſi eſſent vera Sacrificia Confucio, Progenitoribuſque mortuis, in veris Templis, & in Altaribus propriè dictis oblata, obtinuit Decretum anno 1645. ſuæ declarationi conforme. Sanè nemo neſcit inter Chriſtianos ſoli Deo, Optimo, Maximo poſſe, & debere ſacrificium offerri.

Ut autem id reſciverunt Miſſionarii Sinenſes è Societate non tam à Rev. P. qui in Chinam reverſus iſtiuſmodi Decretum non evulgabat, quàm aliundè, acceptis præſertim Româ litteris, miſerunt & ipſi P. Martinum Martinium, qui ab antiquis triginta & quadraginta annorum Miſſionariis benè doctus, munituſque illorum ſcriptis, in Urbem pervenit anno 1656. & poſt expoſitas Sanctæ Sedi Sinarum cæremonias, obtinuit & ipſe Decretum ab Alexandro VII. approbatum, feriâ V. die 23. Martii 1656. quod tale eſt.

****

*****

***

**

*

RESPONSA
Sacræ Congregationis Univerſalis Inquiſitionis A SS. D. N. Alexandro Septimo approbata,

AD QUAESITA

Miſſionariorum Societatis Jeſu apud Sinas. Anno Domini 1656.

AB aliquibus in Regno Sinarum Miſſionariis propoſita fuerunt anno 1645. Sacræ Congregationi de Propaganda Fide infrà ſcripta, & alia quamplurima Quæſita, quæ Sacræ Congregationi Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis de Mandato Sanctiſſimi tranſmiſſa, ſingula fuerunt à Theologis Qualificatoribus qualificata, & unicuique ſuum reſponſum adaptatum in hunc qui ſequitur modum,

Et primò utrùm Chriſtiani Chinenſes obligati ad obſervantiam juris

juris poſitivi, quantùm ad jejunia, confiteri ſemel in anno, & communicare, Feſta ſervare eo modo, quo obligantur Indi in nova Hiſpania, & in Inſulis Philippinarum juxtà diſpoſitionem Papæ Pauli III. pro Indis Occidentalibus, & Meridionalibus.

Cenſuerunt, jus poſitivum Eccleſiaſticum de jejuniis abſolutè obligare Chinenſes Chriſtianos, & à Miſſionariis hoc eſſe illis enunciandum: attentà verò Regionum, & Perſonarum qualitate, locum eſſe (ſi Sanctiſſimo placuerit) diſpenſationi; quæ fuit aliàs à felicis recordationis Paulo III. Indis conceſſa; quâ obtentâ, ſatagant Miſſionarii S. M. E. pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in univerſum indixit, magna ex parte benignè remittit, & indulget.

Cenſuerunt etiam, præfatos Chinenſes obligari ad Sacramentalem Confeſſionem ſemel in anno, & Miſſionarios hujuſmodi obligationem debere eis notificare.

Idem

Idem prorsùs cenſuerunt quoàd Sacram Communionem ſemel in anno ſumendam. Quo verò ad executionem tempore ſtatuto, hoc eſt, in Paſchate, id eſſe intelligendum, niſi legitimum adſit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infrà duos, vel tres menſes, ante, vel poſt, Paſchati proximos, quatenùs ſine diſcrimine fieri poſſit, ſin minus alio quovis tempore, infrà decurſum unius anni à Paſchate inchoandi omninò communicent.

Demùm cenſuerunt, Chinenſes ad fidem converſos teneri omninò Feſta ſervare, Miſſionarios etiam teneri hoc eis notificare, locum tamen eſſe (ſi Sanctiſſimus annuat) limitandi eis numerum dierum feſtorum; juxtà formam privilegii à Paulo III. Indis conceſſi.

Secundò, utrùm in prædicto Regno Miniſtri Evangelici pro nunc ſaltem in Sacramento Baptiſmi poſſint abſtinere ab imponendo mulieribus Oleum Sanctum Cathecume-

menorum, ſputum in auribus, & ſal in ore. Inſuper & non adminiſtrare eiſdem mulieribus Sacramentum Extremæ-Unctionis. Et ratio dubitandi eſt, quia Chinenſes magno zelo ducuntur erga Uxores, filias, & alias mulieres, & ſcandalum ſument ex hujuſmodi actionibus.

Cenſuerunt & Sacramentalia in Baptiſmo mulierum eſſe adhibenda, & Extremam-Unctionem eſſe mulieribus conferendam; nec ſufficere motivum in dubitatione expreſſum, ut Miſsionarii (quantùm in ſe eſt) ab his abſtineant. Curandum ergo ut tam ſalubres ritus, & cæremoniæ introducantur, & obſerventur; ac Miſſionarii tali circumſpectione illa adminiſtrent, hominéſque talibus inſtruant documentis, ut ab omni ſuſpicione inhoneſtatis liberentur.

Octavò, in prædicto Regno habent Chinenſes quendam Magiſtrum in Philoſophia Morali litteratum, qui olim diſceſſit è vita, vocatum

Kun,

Kum fû cû, qui ob doctrinam, regulas, & documenta adeò in toto Regno acceptus eſt, ut eum tam Reges, quàm omnes alii cujuſcumque conditionis & gradûs ſint, ſibi proponant imitandum & ſequendum, ſaltem quoàd ſpeculativum; & quem tanquàm Sanctum venerantur, & laudant; in omnique Civitate, & Villa præfato Magiſtro Templa ſunt erecta: Gubernatores verò bis in anno tenentur in ejus Templo ſolemne ſacrificium offerre, Sacerdotis ipſimet gerentes officium, & ſine ſolemnitate in anni decurſu bis in menſe, concurruntque cum illis aliqui ex Litteratis pro adminiſtratione eorum, quæ in tali ſacrificio offerunt: quæ quidem ſunt Sus unus integer mortuus, Capra una integra, candelæ, vinum, flores, odores, &c.

Item omnes Litterati quando accipiunt gradum, debent ingredi Templum iſtius Magiſtri, & facere genuflexiones, & offerre ante ejus Altare ex candelis, & odoribus.

Totus iſte cultus, ſacrificium, & reverentia ſecundùm omnium illarum Gentium formalem intentionem dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipſius relictis doctrinæ documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipſius meritis optimi ingenii felicitatem, ſapientiæ, & intellectûs. Quæritur utrùm Gubernatores qui Chriſtiani ſunt, vel fuerint, & Litterati, vocati, & coacti poſſint ingredi præfatum Templum, facere tale ſacrificium, vel aſſiſtere hujuſmodi ſacrificio, vel facere genuflexiones ante Altare illud, vel accipere aliquid de Idolothytis, & oblationibus illis; maximè quia putant illi Infideles, quod quicumque manducaverit ex talibus Idolothytis, habebit progreſſum magnum in ſuis litteris, & gradibus; & ſi portantes Crucem in manibus poſſint licitè hoc facere, eo modo, quo dubitatione ſuperiori dictum eſt? quia ſi hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, Miniſtri Evangelii in exilium mittentur, &

con-

converſio animarum impedietur, & extinguetur.

Cenſuerunt non licere, nec poſſe aliquo prætextu contento in dubio Chriſtianis permitti.

Nonò, inviolabilis obſervantiæ mos eſt apud Chinenſes, tanquàm doctrina à ſupradicto Magiſtro Kùm fù cù tradita; quòd in omnibus Chinæ populis, Templa conſtructa habeant Avis, & Progenitoribus ſuis defunctis dicata; & in unoquoque eorum omnes, qui hujuſmodi familiæ ſunt, bis in anno congregentur, & præfatis ſuis Progenitoribus ſolemnia ſacrificia faciant, magno cæremoniarum apparatu, & in Altari multis candelis, floribus, & odoribus adornato, imaginem ſive effigiem Parentis, vel Avi defuncti collocant; in quo ſacrificio invenitur & qui facit Sacerdotis officium, & Miniſtri illius; offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum, &c. Hoc autem ſacrificium ex communi illarum Gentium intentione di-

rigitur, ut præfatis eorum Progenitoribus gratias reddant, honorem, & reverentiam exhibeant, ob beneficia ab eis accepta, & ob illa, quæ ab eis accipere ſperant. Unde ante Altare proſtrati deprecationes multas faciunt, poſtulantes ſanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, proſperitatem magnam, & ut ab omnibus adverſitatibus liberentur. Quod quidem ſacrificium in domibus ſuis, & in ſepulchris mortuorum etiam fit; minore tamen ſolemnitate. Quæritur, utrùm Chriſtiani fictè, & exteriùs tantùm, ut ſuprà dictum eſt, poſſint aſſiſtere hujuſmodi ſacrificio, vel exercere aliquod miniſterium in illo, cum Infidelibus commixti, ſive in Templo, ſive in domo, vel ſepulchro, publicè, vel privatim; vel quonam modo hoc poterit permitti Chriſtianis illis; ne, ſi omninò prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel, ut meliùs dicam, avertant ſe ab actionibus exterioribus Chriſtianorum?

Cen-

Cenſuerunt, Chriſtianis Chinenſibus nullatenùs licere ficté, vel exteriùs aſſiſtere ſacrificiis in honorem Progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuſcumq; ritibus ſuperſtitioſis Gentilium erga ipſos, multò minus licere circà præfata miniſterium aliquod exercere.

Cæterum, cùm Miſſionarii Societatis Jeſu in prædicto Regno tunc temporis auditi non fuerint, anno elapſo 1655. eidem Sacræ Congregationi de Propaganda Fide prædicta quatuor quæſita propoſuere. Cùm ex facti diverſitate, quæ unicuique quæſito eſt appoſita, &c. Res ad eandem Sacram Congregationem Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis, jubente Sanctiſſimo Domino Noſtro, remiſſa. Eadem Sacra Congregatio, auditis Qualificatorum votis, in ſequentem ſententiam reſpondit.

Primò quæritur, utrùm Miſſionarii novis Chriſtianis, quàm primùm baptizantur, debeant inti-

mare jus poſitivum tanquàm obligatorium ſub peccato mortali, quantùm ad jejunia, Feſta ſervare, & confiteri ſemel in anno, ac communicare?

Dubitandi ratio circà jejunium eſt, quia Sinæ inde ab infantia ter in die comedere conſueverunt, ad quod levitas cibi cogit. Præfecti verò jejuni Tribunalia adire deberent, quæ frequentant ab octava matutina ad ſecundam pomeridianam; quod illis eſſet omninò impoſſibile.

Circà Feſta, Confeſſionem, & Communionem dubitandi ratio eſt, quia maxima Chriſtianorum pars laborare debet, ut victum lucretur, & ſæpè coguntur Chriſtiani ab Infidelibus Præfectis, feſtis diebus ſubire varios labores. Ipſi Præfecti Chriſtiani Tribunalia frequentare debent etiam diebus, qui apud nos feſti ſunt, ſub pœna privationis officii.

Miſſionarii ſunt pauci numero, Regnum vaſtiſſimum, ideò quam plu-

plures Chriſtiani Miſſam audire, diebus feſtis, confiteri ſemel in anno, & communicare non poſſunt.

Sacra Congregatio juxtà ea, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit: Jus poſitivum Eccleſiaſticum quoàd jejunia, obſervationem Feſtorum, Sacramentalem Confeſſionem, & Communionem ſemel in anno, eſſe à Miſſionariis Sinenſibus Chriſtianis notificandum, ut obligatorium ſub peccato mortali: poſſe tamen ſimul explicari cauſas, propter quas excuſantur Fideles ab obſervatione præceptorum; &, ſi Sanctiſſimo placuerit, poſſe concedi Miſſionariis facultatem diſpenſandi in caſibus particularibus tantùm, eorum arbitrio.

Secundò quæritur, utrùm omnia Sacramentalia in Baptiſmate fœminarum adultarum adhibenda ſint? Quæritur iterùm, utrùm ſufficiat fœminis petentibus tantùm Extremæ-Unctionis Sacramentum conferre?

 Quæ-

Quæritur iterùm, nùm etiam petentibus negandum, cùm incommoda, & pericula Chriſtianitatis totius prudenter futura prævidentur?

Ratio dubitandi eſt, incredibilis apud Sinas fœminarum modeſtia, zelus, & laudabilis earum ab omni virorum, non ſolùm congreſſu, ſed & aſpectu fuga; quâ in re, niſi magna adhibeatur à Miſſionariis cautela, ſcandalum ingens Sinis datur, totaque Chriſtianitas evidentiſſimo periculo poſſet exponi.

Sacra Congregatio juxta ea, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit: Ex gravi neceſſitate proportionata poſſe omitti quædam Sacramentalia in Baptiſmate fœminarum, ac etiam poſſe omitti ipſum Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Tertiò quæritur, nùm accipiendorum graduum cæremoniam, quæ fit in Aula Confucii, Chriſtiani Litterati licitè agere valeant? Nam nul-

nullus intervenit Sacrificulus, vel ex Secta idololatrica Miniſtellus, nihil omninò fit ab Idololatris inſtitutum: ſed ſoli Studioſi, & Philoſophi conveniunt, Confucium tanquàm Magiſtrum ſuum agnoſcentes civilibus, ac politicis ritibus, ex ſua prima inſtitutione ad merum cultum civilem inſtitutis.

Omnes enim graduandi ſimul Aulam Confucii ingrediuntur, in qua eos expectant Cancellarii, Doctores, ac Examinatores; ibi ſimul omnes ante nomen Philoſophi, nihil omninò offerendo, illas faciunt cæremonias, & inclinationes, more Sinico, quas omnes diſcipuli faciunt ſuis Magiſtris vivis; atque ita, cognito Philoſopho Confucio pro Magiſtro, gradus accipiunt à Cancellariis, ac diſcedunt. Prætereà Aula illa Confucii, Gymnaſium eſt, & non Templum propriè dictum; nam clauſa omnibus eſt præterquàm Studioſis.

Sacra Congregatio juxtà ea, quæ ſu-

ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit permittendas Sinenſibus Chriſtianis prænominatas cæremonias; quia videtur cultus eſſe merè civilis, & politicus.

Quartò quæritur, nùm cæremoniæ, quæ ſunt, ex Philoſophorum placitis, circà defunctós, Chriſtianis permitti poſſint, prohibendo quidquid ſuperſtitioſum acceſſit?

Quæritur iterùm, nùm Chriſtiani ſimùl cum Infidelibus conſanguineis eaſdem licitas cæremonias facere poſſint?

Quæritur iterùm, nùm adeſſe poſſint Chriſtiani, præcipuè factà fidei proteſtatione, quando Infideles etiam ſuperſtitioſa peragunt, non cooperando, aut auctoriſando, ſed quia valdè notaretur, ſi conſanguinei tunc abeſſent, & eſſent inimicitiæ cauſa, ac odii? Sinæ nullam divinitatem animabus defunctorum concedunt, & nihil ab illis ſperant, aut petunt.

Tri-

Triplex eſt modus, quibus defunctos ſuos honorant.

Primus eſt, cùm aliquis moritur, ſive Chriſtianus ſit, ſive Gentilis, pro inviolabili more habetur, in domo defuncti quoddam Altare præparare, in eodemque Imaginem, ſeù Tabellam collocare, in qua ejus nomen ſcriptum eſt, cum ornatu odorum, florum, & candelarum, retròque cadaver feretro incluſum ponere. Omnes autem, qui ad condolendum domos illas ingrediuntur, coràm præparata tabula, & defuncti Imagine ter, vel quater genuflectunt, humi ſeſe proſternentes, capitibus uſque ad terram demiſſis; aliquas ſecum candelas aſportantes, & odoramenta, ut in præparato illo Altari, ſeu potiùs tabula coràm defuncti Imagine conſumantur, & comburantur.

Secundus modus eſt, qui fit bis in anno in Avorum, & Progenitorum ſuorum Aulis (ita Sinæ vocant, & non Templa; hoc enim *Tſu tang* ſonat) quæ verè fami-

lia-

liarum memoriæ, vel monumenta ſunt. Has ſoli habent Magnates, aut ditiores conſanguinitates; in eis nullus ſepelitur mortuus, ſed in montibus. Sola ergò intus eſt nobilioris proavi Imago. Deindè ſuprà gradus alios aliis altiores diſpoſitæ ſunt tabellæ ad palmi altitudinem, in quibus omnium in illa familia defunctorum nomina, qualitas, ſexus, ac ætas inſcripta ſunt, dieſque mortis, etiam infantium, & puellarum.

In hac ergò Aula bis in anno conſanguinei omnes conveniunt, ex quibus ditiores offerunt carnes, vinum, candelas, odoramenta; pauperiores autem, qui has Aulas habere non poſſunt, defunctorum ſuorum tabellas domi ſervant, vel in loco particulari, vel etiam ſuprà Altare, ubi ſunt Parentum Imagines, quia ob loci, ac domus parvitatem alium locum non habent: quas tamen nec venerantur, nec quibus offerunt quidquam; ſed ex defectu alterius loci ibi ſunt:

cæ-

cæremoniæ enim illæ ſupradictæ à Sinis non fiunt, niſi in Aula defunctorum, quam ſi non habent, etiam cæremonias omittunt.

Tertius modus eſt, qui fit ad mortuorum ſepulchra, quæ omnia in montibus ſunt extrà mœnia, juxtà Regni leges. Ad hæc filii, aut affines accedunt ſemel ſaltem in anno, circà initium Maii; herbas, ac gramina circà ſepulturas nata eradicant, purgant, plorant, deinde ejulantur, genuflexiones, ut in primo modo dictum eſt, faciunt, cibos coctos, vinumque diſponunt: mox, finitis lacrymis, edunt, ac bibunt.

Sacra Congregatio juxtà ea, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit, poſſe tolerari Sinas converſos adhibere dictas cæremonias erga ſuos defunctos, etiam cum Gentilibus, ſublatis tamen ſuperſtitioſis. Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus, quando agunt ſuperſtitiosè, præſertim facta fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis, &

& quando aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſſint.

Feria V. die 23. Martii 1656.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum, coràm Sanctiſſimo D. N. D. Alexandro VII. ac Eminentiſſimis DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, in tota Republica Chriſtiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Facta relatione ſupraſcriptorum Quæſitorum, unà cum reſponſis, & reſolutionibus Sacræ Congregationis, Sanctiſſimus D. N. Alexander Papa VII. prædictus præfata reſponſa, & reſolutiones approbavit.

Joannes Lupus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not. &c.

Loco ✝ Sigilli.

Ha-

Hactenùs Decretum Alexandri VII. quod à 50. ferè annis fuit inſtar regulæ, quam Societatis in China Miſſionarii accuratè, atque reverenter ſecuti ſunt, & tutò ſequi ſe poſſe firmiſſimè tenuerunt.

Quia primò eſt Decretum Apoſtolicæ Sedis, cui cum Societatem religiosè devotam eſſe, foreque ſemper, Deo adjuvante, conſtet inter omnes, non dubitant plerique ejus adverſarii jam ad hoc tribunal illam provocare, parati ad triumphum, ſi Decretum inde contra Jeſuitas prodeat: parùm aliundè ſoliciti de Decretis, cum favent Societati.

Quia ſecundò Decretum, de quo agitur, conſtitutum, & promulgatum eſt, poſt auditam utramque partem, nempè P. Joannem Baptiſtam Morales Dominicanum, & P. Martinum Martinium Jeſuitam: cum è contrario ſignificet Sacra ipſa Congregatio *non fuiſſe auditos Societatis Jeſu Miſſionarios Sinenſes* anno 1645. quando ad quæ-

quæſita P. Joannis de Morales reſponſum eſt.

Quia tertiò certò conſtat Sacram Congregationem habuiſse præ oculis Patris ejuſdem quæſita contrà Ritus Confucii, & Progenitorum, cum Decretum conſtituit favens Martinio, ac Jeſuïtis Sinenſibus: hæc enim quæſita eidem Decreto inſeruit: oportuit ergo fuiſſe ab illa auditum patienter Patrem Martinium, de Sinicis illis ritibus fusè diſputantem: oportuit ſolvi ab illo, confutarique, quæ fuerant à Patre Joanne Morales propoſita. Sanè graviſſimam facit injuriam Sacræ Congregationi quiſquis, vel ſine ſufficienti examine conſtitutum ab ea Decretum anni 1656. vel poſt ſufficiens examen, audet aſſerere, id fuiſſe ab eadem approbatum, quod fuiſſet, audita utraque parte, improbandum.

Hoc ipſum eſt tamen, Vir Nobiliſſime, Sacræ Congregationis, & Apoſtolicæ Sedis Decretum, quod poſt annos 40. auſus eſt D. Maigrot, in-

inconſultâ Sanctâ Sede, & authoritate propriâ reformare, adeò ut definiat Miſſionarios Sinas non poſſe tutâ conſcientiâ inniti datis in eo decreto ab Apoſtolica Sede reſponſis, ut patebit ex ejus mandato, quod hic ſubjicitur.

MANDATUM

REVERENDISSIMI DOMINI Maigrot, quo Decretum Sanctæ Sedis anni 1656. reformatur.

CAROLUS MAIGROT Sacerdos, Vicarius Apoſtolicus Fokienſis, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Sociuſque Sorbonicus, omnibus Vicariatus Noſtri conſacerdotibus Salutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus, Ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, appulimus, Nobis ſemper hæc Vicariorum Apoſtolicorum ſollicitudinis præcipua pars viſa eſt, ut diverſis quæſtionibus, de quibus inter Miſſionarios jamdiù controver-

titur, finem, ſi fieri poſſet, afferrent: ſin minùs regulam Miſsionariis traderent, quæ donec Apoſtolica Sedes controverſiam dijudicaverit, æquali ab omnibus uſu & ratione ſervaretur. Neque enim, quod ſæpiùs gementes conſpeximus, ſine magno Eccleſiarum iſtarum detrimento accidit, ut Evangelii Miniſtri, in rebus quæ ad Dei cultum, & Idololatriæ extirpationem attinent, inter ſe non conſentiant; ut quod alii ſine Idololatriæ labe fieri poſſe non putent, hoc alii Chriſtianos facere permittant, aut etiam ad faciendum adhortentur; utque illi ipſi, qui certos uſus ſuperſtitioſos eſſe arbitrantur, eoſdem pro bono pacis interdùm tolerent. Ex quâ mali tolerantia, malum radices agere, atque in dies incrementum accipere diuturnâ experientiâ cognovimus.

Et quidem plerìque Vicariatûs Noſtri Miſsionarii, hanc in quæſtionibus tanti momenti non ſententiarum modò diſcrepantiam, ſed pra-

praxis, & uſus diſsimilitudinem tolli magnoperè cupientes, noſtram pro eo, quo indigni fungimur, Vicarii Apoſtolici munere, ſententiam ſciſcitati ſunt; ac ne continuis conſcientiæ ſcrupulis, & angoribus premerentur, aliquid ſaltem per interim à Nobis decerni ſæpius inſtarunt. Rerum autem gravitas fecit, ut non ita citò reſponderimus, atque illi exoptabant. Etſi enim jam à multo tempore bonæ memoriæ Epiſcopi Heliopolitani, olim Vicarii Apoſtolici Fokienſis, & Sinarum Miſſionum Generalis Adminiſtratoris juſſu, cum ſuas Nobis vices demandaret, his rebus incumberemus; nova tamen, & acrior diligentia, poſtquàm ad Apoſtolicum Vicariatum à Sancta Sede electi fuimus, adhibenda eſſe viſa eſt. Quâ in re id verè affirmare poſſumus, nihil à Nobis ſponte prætermiſſum fuiſſe, ut ſive ex Sinicis fontibus, ſive ex commentariis hoc in genere Europæo idiomate conſcriptis, quoſcumque

habere potuerimus, ſive ex eruditorum virorum conſortio veritatem indagaremus. Et quod omnium maximè neceſſarium eſt, Deum jugi ſacrificio, & aſſiduis precibus obſecravimus, ut tenebras noſtras illuminaret, & ſemitas ſuas, quodque placitum & acceptum eſt in oculis ſuis, edoceret.

Cum itaque Decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſancitum ſit, ad Apoſtolicos Vicarios ſpectare, ut iis, quæ ad cultum divinum, & bonos mores pertinent, intrà ſuorum Vicariatuum fines provideant; ut hac in parte officio noſtro faciamus ſatis, omnibus & ſingulis Vicariatus noſtri Miſſionariis obſervanda præcipimus, quæ ſequuntur, donec aliter ab Apoſtolicâ Sede decretum fuerit.

I. Excluſis nominibus Europæis, quæ non niſi barbaro quodam modo Sinicis literis, & vocibus exprimi poſſunt, Deum, Optimum, Maximum, longo uſu recepto nomine *Tiē-chū*, *Cæli Dominum* appel-

pellandum eſſe ſtatuimus. Ita ut duæ aliæ Sinicæ voces *Tiēn*, *Cælum*, & *Xāmti*, *ſupremus Imperator*, prorsùs repellantur; multò minus affirmetur id, quod Sinæ præfatis nominibus *Tiēn*, & *Xāmti* intelligunt, Deum eſſe, quem Chriſtiani colimus.

II. Diſtrictè prohibemus, ne in ullâ Eccleſiâ, tabella quædam, cui hæ duæ literæ *Cælum colito*, Kīng-*Tiēn*, inſcriptæ ſunt, appendatur; & ubicumque appenſa fuerit, intrà duos menſes auferri mandamus, cum aliis ejuſdem ſensûs tabellis, & verſibus, in quibus nomina *Tiēn*, & *Xāmti*, Deo affinguntur; ac noſtro quidem judicio, cum omnes illæ tabellæ, tum ea inprimis, quæ literas Kīng-*Tiēn* continet, ab Idololatriâ excuſari non poſſunt. Tametſi verò non ita certa res eſſet, ac Nobis videtur; vel ipſa periculi ſuſpicio, ne ab Evangelii Miniſtris abominatio deſolationis in loco ſacro collocetur, Nos ab ejuſmodi tabellis deterrere de-

bet: maximè cum experientiâ Nobis conſtet, eos Vicariatûs noſtri Miſſionarios, quorum in Eccleſiis illæ tabellæ non habentur, nihilo ad Evangelium prædicandum imparatiores eſſe, nec minorem, quàm alii laborum ſuorum fructum percipere.

III. Quæſita ſuper capitibus inter hujuſce Miſſionis Operarios controverſis Summo Pontifici Alexandro VII. propoſita, multis in rebus non eſſe veridica declaramus; ac proindè Miſſionarios reſponſis ab Apoſtolica Sede, rectè quidem & ſapienter, ac juxtà circumſtantias in dubiis expreſſas datis, inniti non poſſe, ad uſitatum apud Sinas Confucii, & Progenitores cultum permittendum.

IV. Miſsionarii nullatenùs, nullàque de causâ Chriſtianis permittant ſolemnibus, quæ ſemel & iterùm ſingulis annis Confucio, & Progenitoribus offerri ſolent, ſacrificiis, ſeu oblationibus præeſſe, miniſtrare, aut intereſſe; quas obla-

tio-

tiones ſuperſtitione imbutas eſſe declaramus.

V. Miſſionarios, qui in locis, ubi Evangelio operam navant, tabellarum in Defunctorum honorem, privatis in domibus erectarum uſum abolêre ſtuduerunt, magnoperè laudamus; atque ut eo, quo cœperunt pede, in poſterum pergant adhortamur. Ubi verò hunc uſum tollere difficilius erit, ad hoc ſaltem res temperamentum revocetur, ut ſublatis literis *Xīn-chū*, *Xīn-Gœi*, *Ling-Gœi*, ſolùmmodò Defuncti nomen tabellæ inſcribatur, aut ad ſummum litera *Gœi* ſuperaddatur: ac ne ejuſmodi tabella, quam in prædictâ formâ, donec Apoſtolica Sedes de re ipsâ judicaverit, non omninò reprobamus, ſuperſtitiosè accipiatur, in loco, ubi tabellæ privatis in domibus erigi ſolent, ſcripta majoribus characteribus declaratio apponatur: in quâ, & quæ ſit Chriſtianorum de Defunctis fides, & qualis filiorum ac nepotum in Progenitores pietas

eſſe debeat, enuncietur; cujus declarationis formam, ad hujus Mandati calcem tradidimus: neque tamen prohibemus aliam ejuſdem ſensûs apponi, ſi modò priùs à nobis approbata fuerit.

VI. Cum nonnulla ſeu verbo, ſeu ſcripto evulgari animadverterimus, quæ incautos in errorem inducunt, & viam ad ſuperſtitionem patefaciunt, verbi gratia,

Philoſophiam, quam Sinæ profitentur, ſi benè intelligatur, nihil habere legi Chriſtianæ contrarium.

Nomine *Jay Kie* ſapientiſsimos Priſcos Deum, cauſam primam rerum omnium definire voluiſſe.

Cultum, quem Confucium Spiritibus adhibuit, civilem potiùs quàm religioſum fuiſſe.

Librum, quem Sinæ *Je King* appellant ſummam eſſe optimæ doctrinæ Phyſicæ, & Moralis.

Hæc & ſimilia uti falsò, temerè, & ſcandalosè dicta, ſcriptàve diſtrictè inhibemus, ne in toto Vicariatu noſtro diſſeminentur.

VII.

VII. Caveant Miſſionarii, ne qui Chriſtiani Sinicos libros in ſcholis legunt, Atheiſmum, & diverſas ſuperſtitiones, quibus illi libri tam in textu, quàm in commentariis ſcatent, in Auditorum animos infundant; ſed illos Miſſionarii admoneant, ut obvios errores refutent, & errorum occaſione, quæ de Deo, de mundi creatione, & gubernatione Chriſtiana Religio tradit, diſcipulos diligenter edoceant; atque eoſdem Chriſtianos Miſſionarii frequenter commonefaciant, ne, quod facilè contingit, ſuis in ſcriptionibus, aliquid è Scholæ Litterariæ principiis Legi Chriſtianæ contrarium admiſceant.

Sunt & aliæ quæſtiones, quas hac vice nondùm attingimus; quia cum memoratis capitibus, quæ præcipua ſunt, & è quibus alia magnâ ex parte dependent, proviſum fuerit, facilius erit, quid in cæteris tenendum ſit, præſcribere, & in uſum inducere.

Si quis autem Miſsionarius, quod abſit:

abſit, nullâ habitâ hujus Declarationis, & Mandati ratione, intrà duos menſes memoratas tabellas, & verſus ab Eccleſiis ſuis, aut domibus non auferat, aut intrà præfatum tempus manum operi non adhibeat, ut quas præſcribimus regulas in uſum & morem inducat, conceſſas à Nobis aut à quocumque alio Vicario, & Provicario Apoſtolico facultates per præſentes revocamus; ac pro tempore præfato revocatas eſſe declaramus.

Neque tamen hac præſenti Declaratione, & Mandato eos culpare intendimus, qui aliter anteà cenſuerunt, aliamve praxim ſecuti ſunt, ab eâ, quam in poſterum ſequendam eſſe ſtatuimus. Mirum enim videri non debet, ſi in rebus hujuſmodi, Miſsionarii omnes, unius ejuſdemque ſententiæ non fuerint, & eam unuſquiſque praxim amplexus ſit, quæ ſibi in Domino magis veritati conſona videbatur. Nunc verò in hoc omnes ſtudia noſtra conferamus, ut idem ſapiamus,

mus ; ut unanimes uno ore exhibeamus iſtam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, ſed ut ſit ſancta & immaculata: ac Deus pacis, & dilectionis erit nobiſcum. Datum in Oppido Chang Lo Provinciæ Fokienſis, die vigeſima ſexta menſis Martii, anni Domini 1693.

CAROLUS MAIGROT,
Presbyter Vicarius Apoſtolicus Fokienſis.

****
*****
***
**
*

OB-

EXIBITUM pridem fuit Sacræ Congregationi volumen continens varias obſervationes in Mandatum illud Reverendiſsimi Domini Maigrot, & in ſingula ejuſdem mandati puncta, quæ ſunt ſeptem: ſed cum eſſet ſatis amplum, oblatus eſt poſteà Summo Pontifici libellus ſupplex, ut in eo, quaſi in compendio, faciliùs legi poſſent, quæ in obſervationibus fusè explicantur.

Contrà obſervationes exhibuit notas Dominus Charmot, & diſpunctiones contrà Libellum. Num relinquant notæ in ſuo robore obſervationes; an ita Libellus diſpungatur, ut non pergat legentibus exhibere æquè dilucidè, ac anteà varios, graveſque defectus Mandati Magiotiani, contradictiones Authoris, bonitatem cauſæ quam impugnat, Martinii innocentiam, atque bonam fidem, æquitatem Apoſtolilici Decreti circà ritus erga Confucium, & Progenitores mortuos, idoneitatem vocum, quibus in Chi-

na compellare Deum oportet, & alia hujuſmodi, Vir Nobiliſsime, judicabis, & Sacra Congregatio definiet.

Conqueritur Dominus Charmot (b)*cauſam per ſe claram offuſis difficultatum tenebris ab Authore Obſervationnm obſcurari*. Sed conſtat intendiſse aliud nihil obſervationum Authorem, & Libelli, quàm ut diſsipatis tenebris, ſolutiſque difficultatibus, quas, reformato Sanctæ Sedis judicio, tam odiosè renovat Dominus Maigrot, clarè appareat quid ſit in hàc causâ verum, aut veritati conformius, ſeu probabilius: quid ſit in conſcientiâ tutum, quid tutius, quid fortaſsis unicè tutum. Ad hoc enim inquirendum ſecutus eſt is methodum facilem, claram, rei naturæ convenientem, juxtà ordinem materiarum ab Adverſariis ipſis præſcriptum.

Poſtquàm enim varios expoſuit Man-

(b) *In Præfat. & in hiſt. cult. Sin. art.* 10. *p.* 71.

Mandati Maigrotiani defectus contrà jus, & reverentiam Apoſtolicæ Sedi debitam, ſingula percurrit Mandati puncta, prout jacent in Mandato; nihil confundit. Examinat primo loco quod Dominus Maigrot primo loco propoſuit, &c. Imò dum reſpondet aliis ſcriptis ab eodem, vel à Domino Charmot Sacræ Congregationi oblatis, non perturbat illorum ordinem: ſingula confutat, prout ibi occurrunt: quin etiam textum Epiſtolæ Reverendiſsimi integrum proponit. Non ita reſpondet qui tenebras amat, intenditque confundere omnia.

Id ſuo nos docet Dominus Charmot exemplo: non auſus eſt ſervatum in obſervationibus rerum ordinem ſequi: cautè advertit multa eſſe ibi contrà ſe demonſtrata per varias propoſitiones ſibi invicem connexas, sèque mutuò fulcientes. Ut illarum robur infringeret, offunderètque tenebras, eas à ſe invicem disjunxit, ratus ſe hujuſmodi methodo poſſe faciliùs im-

imponere. Quarè ingenuè ſic loquitur. (*c*) *Quod ut melius*, inquit, *exequar, propoſitarum quæſtionum ordinem non nihil mutabo*. Laudo hominis candorem: commendarem adhuc magis, ſi veriùs loquendo dixiſſet, ſe immutare prorsùs omnia, cum nec ſervet ordinem materiarum, nec in ſingulis materiis ordinem rerum. Conqueritur tamen *cauſam per ſe claram offuſis difficultatum tenebris ab Authore obſervationum obſcurari*. Quid à viro tali ſperandum ſit deinceps, hinc videmus.

Intereà reducendus ad ordinem;
ideòque percurrendo ſingulas
obſervationes, quid ipſius
notæ intactum relinquãt;
quid non ſit diſpunctum in Libello,
expendamus.

(c) *In præfatione.*

OBSERVATIONES
IN MANDATUM
Reverendiſſimi Domini Maigrot, à Domini Charmot notis atque diſpunctionibus vindicatæ.

Pro tuendo Alexandri VII. Decreto, de ritibus ac cæremoniis Sinarum.

SI legis adjunctam huic mandato Reverendiſsimi Domini Maigrot expoſitionem, ſtatim intelliges, Vir Nobiliſsime, non modò Jeſuitis litem illum intentare, ſed videri prætereà velle cum ſolis Jeſuitis rem habere; tum ut ſibi conciliet faciliùs Jeſuitarum Adverſarios, tum ne alios quàm Jeſuitas in ſe quoque commoveat.

Nihilominùs infrà conſtabit multos, graviſsimoſque ex Sacro Dominicanorum Ordine Miſsionarios, etſi minus apertè, non minus tamen

men injurioſè, quàm Jeſuitas, ab eodem Reverendiſsimo accuſari ſimul, & condemnari. Quin etiam auſim affirmare cauſam illam cum Sacrâ Congregatione, imò cum Apoſtolica Sede Jeſuitis eſſe communem; nam decretum ejuſdem Sacræ Congregationis ab Alexandro VII. approbatum ſuo examini non modò ſubjecit, ſed & improbavit, ac Mandato ſuo, ut viſum eſt, reformavit.

Ut igitur Sanctæ Sedis authoritatem, Sacræ Gongregationis reſponſa, Neophytorum Sinarum innocentiam, Evangelii in hoc Imperio Miniſtrorum famam, Apoſtolici Decreti æquitatem, Jeſuitæ tueantur, ſuas in Mandatum Reverendiſsimi obſervationes, ita juſsi, Sacræ Congregationi obtulerunt.

Ut autem omnia clarè, atque ex ordine procederent ad detegendam certiùs veritatem, fuit harum obſervationum pars duplex: Prima complectitur obſervationes in ipſum Reverendiſsimi Mandatum ſumptum

in genere : Secunda obſervationes exhibet in ſingula promulgati Mandati puncta , quæ ſunt ſeptem.

In prima parte, probant tot reperiri in Reverendiſsimi Domini Maigrot Mandato defectus juris,reverentiæ erga Sanctam Sedem,æquitatis , prudentiæ , totque humani affectûs indicia apparere, ut vi illius Decreti nihil poſsit juridicè definiri circà ſeptem puncta , quæ continet ; etſi aliundè conſtaret iſta remedio indigere .

In ſecunda vero parte addunt , hæc tam parum indigere remedio , ut licet iſtud Decretum extrinſecis nævis , ac defectibus careret , videatur tamen quoàd ea , quæ benè præſcribit, inutile ; quoàd plura , quæ malè prohibet , non minus injuſtum , quàm periculoſum.

PRIMA PARS
OBSERVATIONUM

DE primâ obſervationum parte in Mandatum Reverendiſsimi Domini Maigrot ſumptum in genere ſolùm hîc agimus, ut ſit brevitati conſultum: agemus deinceps de ſecundâ, ſi ita juſſeris. Fieri porrò vix poteſt, ut, vel tantiſper attendas ad communes illas obſervationes, quin defectus, quibus ſcatet illud Mandatum, tot & tanti ſeſe prodant continuò.

OBSERVATIO I.

Primò enim quantum eſt iſtud, quod Vicarius Apoſtolicus Sacræ Congregationis Decretum, poſt maturam diuturnamque inquiſitionem anno 1656. circà Sinenſium ritus conſtitutum, eodemque anno ab Apoſtolicâ Sede approbatum, audeat poſt annos quadraginta, inconſultâ

Sanctâ Sede, ideòque propriâ authoritate reformare, reſcindere, annullare; adeò ut definiat, Miſſionarios Sinas non poſſe tutâ conſcientiâ inniti datis in eo decreto ab Apoſtolicâ Sede reſponſis; vertereque non dubitet Jeſuitis vitio ac crimini, quòd, nullam in Eccleſiâ authoritatem agnoſcentes Apoſtolicâ authoritate majorem, Apoſtolicum Decretum pergant obſervare. Hoc eſt grande omninò apud Reverendiſſimum Jeſuitarum ſcelus: ſperat Societas fore apud Sanctiſſimum non modicam Jeſuitarum laudem.

Quid ad hoc Dominus Charmot? (*d*) Negat eſſe reformatum à Domino Maigrot Alexandri VII. Decretum, ſed fatetur Edicto proviſorio fuiſse ab illo declaratum, nullam hoc Alexandri Decretum vim habere. Hoc ipſum eſt, quod reprehendimus.

OB-

(d) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 25. *ſect.* 1. *art.* 5. *Item pag.* 108, 109.

OBSERVATIO II.

Putavit Reverendiſſimus, ſe poſſe Romæ excuſari de authoritate in Apoſtolicam Sedem uſurpatâ, modò priùs definiret Sanctam Sedem fuiſſe à Patre Martinio ante quadraginta annos malè informatam: ſed occurret continuò Sanctitati Suæ levitas, nullitas, falſitas, & injuſtitia hujus excuſationis.

Quia Primo. Conſtabit infrà ſuo loco tam veritas informationis Patris Martinii, quàm Apoſtolici Decreti æquitas.

Quia ſecundo. Etſi ſuadere ipſe ſibi Reverendiſſimus voluiſſet, fuiſſe à Patre Martinio malè informatam Sanctam Sedem, cum id omninò negarent, ac pernegarent longè plures Miſſionarii non ſolùm è Societate, ſed ex ſacro quoque Dominicanorum Ordine, debuiſſet cauſa illa malæ informationis deferri ad Sanctam Sedem, ut ea diſcuſſa, ſi cenſeret ita expedire, ſuum ipſa

Decretum Sancta Sedes reformaret: non debet autem, inconſulta Sancta Sede, nec auditis audiendis, à Reverendiſſimo Domino Maigrot reformari: alioqui ſub tali prætextu, ſi ſemel admitteretur, vana reddi poſſent & inutilia Apoſtolicæ Sedis Decreta tam olim edita, quàm edenda in poſterum circà fidem, & circa mores, unde graviſſima pericula & perturbatio Fidelium terribilis.

Quæ reponit Dominus Charmot non ſunt ad rem. (*e*) Nam 1. textus Bernardi ab eo citatus probat Apoſtolicæ Sedis Decretum poſſe quidem aliquando reformari, ſed ab ipſamet Sancta Sede reformandum, non ab inferiori Judice.

2. Periculum, (*f*) quod fingit maximum, nullum erat, cum ex ipſo Domino Maigrot culpandi non eſſent, (*g*) qui in rebus hujuſmodi ſentiebant, aut agebant quod ſibi magis conſonum veritati videbatur: nihil

(e) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 110.
(f) *pag.* 109. (g) *pag.* 338.

nihil ergo erat ex illo capite, quod tàm præceps judicium excuſare, poſſet; nihil quod Apoſtolicæ Sedis ſententiam expectare prohiberet.

3. Suo loco probatur nullam, habuiſſe Reverendiſſimum cauſam, legitimam juridicè infamandi Patrem Martinium.

4. In circunſtantiis non debuit adeſſe Pater Monteiro, ut audiretur in eo loco, in quo finitâ Sanctæ Sedis judicio controverſia Luſitanica, conſtitutus erat Vicarius Generalis ab Archiepiſcopo Goano. Unde ſententiam tulit audita, tantùm una parte Reverendiſſimus.

Quia III. Patet evidentiſſimè falſum eſſe quod aſſerit Dominus Charmot, ut demonſtret informationis defectum: Quia nempe, inquit, Pater Martinius ita Sanctæ Sedi ritus, ac cæremonias mortuorum propoſuit, ut (a) *ne umbra, quidem ſuperſtitionis ineſſe illis videretur*. Illud autem quàm falſum

 ſit,

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 464.

ſit, tum Quæſita Patris Martinii, tum Reſponſa ſive Sacræ Congregationis, ſive ſummmi Pontificis manifeſtiſſimè demonſtrant.

Quærit enim Pater Martinius, *Num cæremoniæ, quæ ſunt ex Philoſophorum placitis circà defunctos, Chriſtianis permitti poſſint, prohibendo quidquid ſuperſtitioſum acceſſit?* Quærit iterùm, *Num Chriſtiani ſimul cum Infidelibus conſanguineis eaſdem licitas cæremonias facere poſſint?* Quærit denique, *Num adeſſe poſſint Chriſtiani, præcipuè facta fidei proteſtatione, quandò Infideles etiam ſuperſtitioſa peragunt, non cooperando, non autoriſando, ſed quia valdè notaretur, ſi conſanguinei tunc abeſſent, & eſſent inimicitiæ cauſa, & odii?* Ita Pater Martinius, unde manifeſtè conſtat juxtà illum ſupponi in cæremoniis illis poſſe pluſquàm umbram ſuperſtitionis ineſſe: ſed non minus clarè id patet ex Reſponſis Sacræ Congregationis ab Apoſtolica Sede approbatis.

Sa-

Sacra Congregatio (inquit Decretum anni 1656.) *juxtà ea, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit poſſe tolerari Sinas converſos adhibere dictas cæremonias erga ſuos defunctos, etiam cum Gentilibus, ſublatis ſuperſtitioſis. Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus, quandò agunt ſuperſtitioſa, præſertim factâ fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis, & quandò aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſſunt.*

Hinc patet quâm falsò imponat Patri Martinio Dominus Charmot, dum ait ita ab illo propoſitas eſſe Sinarum cæremonias erga Progenitores mortuos, ut *ne umbra quidem ſuperſtitionis ineſſet*; quamque proindè nulla ſit hæc excuſatio, quam ad reformandum Apoſtolicæ Sedis Decretum Reverendiſſimus prætexuit.

Conqueritur hîc Diſpunctor detorqueri hæc ipſius verba ad ſenſum, quem non intendit: ſed de ſe-

ſeipſo conqueratur, qui ut odioſam redderet P. Martinii informationem, diſertè poſt Dominum Maigrot (a) affirmavit, quod ex propoſitis à Martinio, & à Sacra Congregatione reſponſis manifeſtè falſum apparet.

OBSERVATIO III.

Id maximè arguunt Patris Martinii accuſatores, quod aſſeruerit nullam à Sinis divinitatem concedi animabus defunctorum. Volunt enim illi Confucium, Progenitoreſque eſſe apud Sinas totidem Idola: Undè Reverendiſſimus concludit ritus illos ſolemnes, quibus ſemel ac iterùm ſingulis annis coluntur, eſſe idololatricos & ſuperſtitione imbutos. Hinc ſumit occaſionem infamandi apud Sanctam Sedem tum Evangelii Miniſtros, tum Chriſtianos Sinenſes, quaſi eſſent

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 211.
Item pag. 464.
Item pag 371.

ſent Idololatræ. (*a*) *Ut dubitari* (inquit) *meritò poſſit, an qui ſunt in China Chriſtiani, iidem ferè omnes non ſint Idololatræ.*

Sed quanta ſit hæc calumnia, ipſi accuſatores Jeſuitarum, ut reliqua nunc taceam, ſatis ſuperque demonſtrant.

Quia Reverendiſsimus Dominus Maigrot in ſuâ ad ſummum Pontificem epiſtolâ ſic loquitur. (*b*) *Neque, cum Idololatriam dico, id ita velim intelligi, quaſi ulli ſint in China Miſſionarii, qui in craſſam, turpemque Idololatriam impingunt, aut alios impingere permittant: quod ſine ingenti calumnia dici non poteſt.* Ita ille

Sed hinc manifeſtè infertur, Confucium Philoſophum, & Progenitores mortuos non eſſe Idola apud Sinas, ut bene notavit Pater Martinius: ſi enim eſſent Idola, qui illos colerent quocumque tandem cultu, dici deberent craſſi, turpeſque

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.*403.
(b) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 402. 403.

peſque Idololatræ: atqui juxtà Sacræ Congregationis Decretum, licitum eſt Chriſtianis cultu civili Confucium colere ut Imperii Magiſtrum, à quo doctrinam, colere Progenitores mortuos, à quibus vitam acceperunt: imò Reverendiſſimus ipſe non prohibet omnem cultum Confucio à Graduandis, Progenitoribus autem ab amicis, filiiſque, ubi primùm mortui ſunt, haberi ſolitum; ſed tantùm prohibet ſolemniores ritus, qui iiſdem bis in anno exhibentur: ergo cum ex eodem Reverendiſſimo Chriſtiani Sinæ non poſſint dici abſque gravi calumnia in gravem, turpemque Idololatriam impingere, neceſſe eſt ex eodem Reverendiſſimo Confucium, Progenitoreſque, non poſſe quoque, nec debere dici Idola, ut vere Pater Martinius affirmavit: ergo juxta Reverendiſſimum erunt Idola ſimul, & non erunt: ergo juxtà eundem vera ſimul erit, & falſa Patris Martinii quoàd punctum illud informatio:

tio : ergo apud Reverendiſſimum amicè inter ſe conveniunt duo contradictoria, quæ apud alios omnes ſe deſtruunt.

Ad ea nihil reponit Diſpunctor : nihil ſolidi habet reſpondendum. Si enim non vult à Sinis Progenitores coli ut Numina, quare conqueritur id fuiſſe falsò affirmatum à Martino ? Si vult coli ut Numina, qui cultum eis exhibent, ſunt craſſi, turpeſque Idololatræ.

OBSERVATIO IV.

Idem Reverendiſſimus ſæpiùs repetit in adjuncta Mandato ſuo expoſitione, Sinas omnes Litteratos tam antiquos, quam hodiernos eſſe Atheos, hoc eſt, nullum Numen agnoſcere, ac proindè nec Spiritum, nec animam immortalem : in eâdem tamen expoſitione non modò vult Confucium, & Progenitores coli ut Idola à Litteratis, ſed etiam juxtà illos tam Spiritum Confucii, etſi ante bis mille an-

annos mortui , quàm progenitorum Spiritus reſidere realiter in tabellis , quæ per totum Imperium, & in omnibus omninò Urbibus conſervantur : ergò juxtà Reverendiſſimum Sinæ Litterati ſunt ſimnl Athei , & non ſunt ; nullum agnoſcunt Numen , & infinita ſimul agnoſcunt Numina , non credunt Spiritus, & ſimul Spiritus credunt in multis locis millies replicatos . Vix putemus fingi poſſe majus falſitatis argumentum contradictione tali.

Non ſolvit contradictionem Diſpunctor , (*a*) dum vult Athei vocem in China non idem ſonare, ac in Europa ; apud *S*inas ſolis opponi Idololatris , & Magis ; non item apud nos . In hoc quippè multum errat Dominus Charmot . Secta quidem Litteratorum opponitur in China Sectis Idololatrarum , & Magorum : ſed cùm inter Litteratos alii ſint Deiſtæ , Athei alii ; Athei in China , ſicut in Europa , opponun-

(a) *Hiſt.cult.Sin.pag.* 85.

nuntur iis omnibus qui Numen aliquod agnoſcunt. Porrò Deiſtarum nomine inter Sinas nuncupamus eos, qui cum Idola neq; colant, neque habeant, Supremum & unum Deum venerantur ſub nomine vel Xām-pti, vel Tiēn, vel Tiēn-chû. Unde non minus ſunt in hoc contrarii Atheis quàm Idololatris & Magis.

OBSERVATIO V.

In Mandato ſuo affirmat Reverendiſſimus (a) *quòd culpare eos non intendat, qui aliter anteà cenſuerunt, aliamve praxim ſecuti ſunt ab eâ, quam in poſterum ſequendam eſſe ſtatuit*; & tamen affirmat, in ſua ad Innocentium XII. Epiſtola, (b) *dubitari meritò poſſe, an qui ſunt in China Chriſtiani, iidem fere omnes non ſint Idololatræ?* Quàm parum iſta congruant, clarè conſtat. Culpare Re-

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 33.
(b) *Ibid. pag.* 403.

Reverendiſſimus eos non intendit, qui Confucium Philoſophum, Progenitoreſque mortuos civili hactenùs obſervantia coluerunt: illos tamen apud ſanctiſſimum traducit ut Idololatras: ergo intendit culpare ſimul, & non culpare.

Addit in Mandato ſuo (a) *mirum videri non debere, ſi in rebus hujuſmodi Miſſionarii omnes unius ejuſdemque ſententiæ non fuerint, & eam unuſquiſque praxim amplexus ſit, quæ ſibi in Domino magis conſona veritati videbatur*. Ergo juxta Reverendiſſimum res illæ, de quibus agitur, ſunt obſcuræ, ut prius dictum eſt, atque in utramque partem controverſæ: alioqui in re clara & manifeſta mirum videri deberet, Miſſionarios, omnes non eſſe unius ejuſdemque ſententiæ. Atqui nihil poteſt fieri religioſius, nihil prudentiùs, quàm in rebus hujuſmodi controverſis hanc partem amplecti, quæ probabilior nobis videtur, magiſque con-

(a) *Hiſtor. cult. Sin. pag.* 338.

conſona veritati. Id factum à Chriſtianis, Miſſionariiſque in China ipſe fatetur Reverendiſſimus; conqueritur tamen ſimul apud Sanctiſſimum omnes ferè Chriſtianos eſſe in China Idololatras. Prudenter ergo egerunt ſimul, & imprudenter; religiosè ſimul, & impiè: ſunt ergo culpandi, ſimul & non culpandi: dici ergo ſimul poſſunt, & non poſſunt Idololatræ. Debuerat ſaltem convenire ſecum Reverendiſſimus; antequàm Sanctiſſimo ſignificaret, ſe non poſſe convenire cum aliis.

Hæc cohærent, inquit Diſpunctor; (a) nam reverà Chriſtiani Sinæ ſunt Idololatræ. Quòd autem culpare eos non intendat Reverendiſſimus, id de foro ſolùm exteriori intelligit.

Quæ reſpondet hic Dominus Charmot, tam parum cohærent, quàm quæ arguimus in Domino Maigrot. Nam 1. *nuſquam diximus*, inquit Diſpunctor, *Confu-*

E *cium*

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 99.

cium à Sinis Litteratis ut Deum, Majores coli ut Numina: ergo qui hos colunt ex eo præcisè Idololatræ non ſunt.

2. Ratio non culpandi eos allata à Reverendiſſimo, probat non eſſe culpandos in foro interno, quòd nempè in rebus oſcuris ea ſecuti ſint, quæ magis conſona veritati videbatur.

3. Dici ergo potiùs debet Reverendiſſimus hos culpare in foro externo, quos nimirùm ad Sedem Apoſtolicam defert, ut Idololatras; ſed iſta ſunt contradictione plena.

OBSERVATIO VI.

Idem Reverendiſſimus in ſua ad Innocentium XII. Epiſtola ingenuè confitetur, propterea nuncupari à ſe Idololatras Evangelii in China Miniſtros, (a) *quia certos ritus Chriſtianis permittunt, & non nihil ipſi in uſum adhibent, quos ipſi quidem probabiliter ſibi videri di-*

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 402.403.

dicunt licitos , & merè politicos, aliis ritus eoſdem illicitos aſſerentibus.

Sed ſi propterea licitum eſt Miſſionarios Sinenſes vocare Idololatras, potiori jure D. Thomas, omneſque Thomiſtæ vocari poterunt Homicidæ : quia docent Judices poſſe, & debere condemnare eum, quem privata cognitione ſciunt eſſe innocentem, quandò in foro externo juxtà leges eſt ſufficienter convictus ; contrà hujuſmodi ſententiam reclamantibus Scoto Scotiſtiſq; qui affirmant iſtud non licere. Potiori jure innumeri Theologi, etiam Angelici, & Seraphici vocari poterunt non ſolum Homicidæ, ſed etiam uſurarii, ſimoniaci, ſuperſtitioſi, Idololatræ, quia licitos docent eſſe aliquos contractus, vel actus, quos alii Theologi putant eſſe illicitos. Qui ſic diſcurrit, ſi Dominus Charmot ejus Procurator hunc Doctorem eſſe Sorbonicum non diceret, vix crederent Theologi eſſe Theologum.

Dixi potiori jure. Nam immenſùm abeſt, ut clarè patebit inferiùs, quòd tanta ſit Domini Maigrot, ſuorumque authoritas contrà ſententiam de ritibus Confucii, Progenitorumque politicis, Sacræ Congregationis, & Sedis Apoſtolicæ Decreto munitam, quanta eſt Scoti, Scotiſtarumque authoritas contrà modò expoſitam Divi Thomæ, Thomiſtarumque doctrinam.

Reſpondet Dominus Charmot, (*a*) non homicidas dici Theologos, qui ſentiunt cum Divo Thoma, ac Thomiſtis condemnandum eum eſſe à Judicibus, quem in foro externo convictum juxtà leges, privata cognitione ſcirent eſſe innocentem: ſed ſi falſa eſt hæc opinio, Theologos illos dici ſolùm oportere fautores homicidiorum. Multùm debet Divus Thomas Diſpunctori, quòd tam amicè, tam honeſtè illum excipiat: multùm omnes Theologi.

Sed

(*a*) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 103.

Sed advertat Dominus Gharmot, non ſic loqui de Theologis eos, qui ſunt inter Theologos Catholici.

Fautores Hæreticorum dicuntur, qui ſic favent Hæreticis, ut eorum favor, & gratia vel ſtabiliendæ, vel conſervandæ, vel amplificandæ Hæreſi ab Eccleſia damnatæ deſerviat: at verò qui Idololatriam, Simoniam, Uſuram ex animo deteſtantes, exiſtimant ritus aliquos, aut contractus ideò licitos, quòd re coràm Deo diligenter expenſa, prudenter judicant ritus illos non eſſe idololatricos, nec contractus ſimoniacos, aut uſurarios, & tam prudenter judicant, ut magis conſonum veritati id putent, enimverò tales non dicuntur à Catholicis fautores Idololatriæ, Simoniæ, Uſuræ, cùm nihil ab Eccleſia circà iſta definitum ſupponamus.

Advertat iterùm Dominus Charmot, etſi conſtet omni jure naturali, poſitivo, divino, humano prohibitam eſſe Idololatriam, non eodem modo conſtare hos & illos

ritus eſſe ubique gentium idololatricos; cùm id plurimùm pendeat ab intentione illorum, qui vel tales ritus inſtituerunt, vel illos adhibent, ac proindè Idololatriæ non eſſe, nec poſſe dici fautores, qui poſt multiplex & accuratum examen coràm Deo, ſapienter judicantes nihil illos continere idololatricum, eoſdem ritus permittunt: ſi præſertim ſciant prohibitione illorum innumeros prorsùs homines ab Evangelio audiendo prohibendos eſſe.

Hæc & alia, quæ deinceps proſequemur, ad credendum me inducunt, Dominum Charmot nec notarum, nec diſpunctionum Authorem eſſe, ſed adhibuiſſe ad hoc opus ſuſpectos homines, quorum error ſe multis in locis prodens ipſi tribuitur.

OBSERVATIO VII.

Cæterùm, nemo eſt qui non poſſit advertere Societatis in China Miſſionarios, eorumque Chriſtianos,

ipſo Reverendiſſimo teſte, plus feciſſe, quàm juſſerint hactenùs Summi Pontifices à Theologis doceri, & à Chriſtianis fieri, tum in Regnis Catholicis, tum etiam Romæ. Norunt qui ſunt Theologi, eſſe plusquàm tria opinionum millia in Theologia morali, de quibus in utramque partem diſputatur, docentibus aliis licere, quod illicitum alii affirmant. Nondùm ab Apoſtolica Sede univerſaliter præſcriptum eſt, ex duabus hujuſmodi opinionibus eam eſſe neceſſariò ſequendam, quæ videtur probabilior: non eſt prohibitum illam ſequi, quæ eſt certò probabilis, licet aliquantò minus probabilis: noſtros tamen Miſſionarios, eorumque Chriſtianos fatetur Dominus Maigrot ex duabus circà cæremonias Sinenſes ſententiis eam fuiſſe ſecutos, quæ probabilior ſibi videbatur, & magis conſona veritati: ergo ſine cauſa illos inſequitur Reverendiſſimus ille, & in agro Domini laborantes turbat immeritò.

Ad vocem probabilitatis etiam majoris excandeſcit Dominus Charmot, vel qui notas, & diſpunctiones pro illo conſcripſit. Quod D. Maigrot ait magis eſſe conſonum, veritati, negat idem eſſe ac probabilius: quaſi verò id quod judicatur probabiliùs, non illicò judicetur magis, vel probabiliùs verum, aut conſonum veritati?

Per has voces aliud nihil nos intelligimus. Non advertit Theologos, quandò in rebus obſcuris non poteſt certò detegi veritas, rectè ac prudenter inquirere, quid ad eam propiùs accedat, ut veritas ſaltem probabiliùs cognita ſit regula morum. Sic ſentiunt, & loquuntur, qui rigidos etiam inter Theologos reponuntur.

OBSERVATIO VIII.

At unum eſt, quod Roma non feret, nempe Reverendiſſimum in Apoſtolicæ Sedis jura involare. Fatetur quidem, ut vidimus, Miſsiona-

narios in quæſtionibus circà mortuorum ritus controverſis hanc partem eſſe amplexos, quæ magis conſona veritati ſibi videbatur: ſed hoc ipſum fieri deinceps prohibet ſub pœna gravis, & craſſæ Idololatriæ: neceſſe eſt ergo, ut ſibi arroget alterutrum ex illis Juribus, nempè vel jus prohibendi, ne in rebus controverſis probabiliora ſequamur; vel jus authoritate propria opinioni etiam probabiliori ſuam tollendi probabilitatem. Et verò qui ante Mandatum Reverendiſſimi obſervabant ritus Sinenſes, non erant culpandi, quia probabiliora ſequebantur: erunt autem, ſi poſt Mandatum eos iterùm obſervent. Cur ita? niſi quia poſt Mandatum vel non ſunt ampliùs probabiliora, vel non eſt ampliùs licitum probabiliora ſequi. Utrumque verò illud jus pertinet ad Sanctam Sedem; à qua certò poteſt affirmari nunquàm eſſe definiendum, quòd in rebus controverſis non ſit licitum id ſequi, quod erit probabilius.

bilius. Involavit ergo Reverendiſſimus in jura Romanæ Sedis.

Nil ad iſta præcisè Diſpunctor: pergit ſolùm declamare contrà omnem probabilitatem.

OBSERVATIO IX.

Tantò autem injuſtiùs in iſtiuſmodi jura involavit, quòd de juris quæſtione ſive de licito, aut illicito in præſenti caſu primùm non agatur, ſed de mera *facti* quæſtione; nimirùm an ex communi Sinarum perſuaſione, vel authoritate aliqua publica Confucius Philoſophus, & Progenitores mortui habeantur apud Sinas ut Numina: eo enim ipso quòd ſint graves id negandi rationes (videbimus eſſe graviſſimas) certò conſtat poſſe Chriſtianos obſervantiam civilem exhibere Confucio ob doctrinam, Progenitoribus verò ob vitam ab illis acceptam, ut probatur inferiùs ſuo loco. Quare hæc quæſtio eſt omninò independens à celebri diſputatione, de ſequenda, vel non ſequenda

pro-

probabiliori parte: ac proinde nec Reverendiſsimus Dominus Maigrot, nec Dominus Charmot videntur ſatis attigiſſe ſtatum quæſtionis, dum occaſionem inde carpunt contrà probabilitatem declamandi, & ſuas Jeſuitis exprobrandi ſententias.

Deciſum eſt in præliminari quæſtione hoc factum, etiam authoritate Diſpunctoris: hoc autem ſemel deciſo, corruunt ferè omnia quæ contrà Miſſionarios Sinenſes è Societate tam odiosè, quàm falsò ſparguntur. Porrò non eſt ſolùm probatum Confucium, & Progenitores mortuos non haberi in China Deos, ſed neque Sanctos nec præditos poteſtate, quæ ſit humana major.

Erit Supremi omnium Judicis definire, utrùm de impacta iſtis Miſſionariis, eorumque Chriſtianis Idololatriæ calumnia, probabilitatis alicujus ope, ambo illi Accuſatores poſſint excuſari, quod nobis videtur difficile. Erit Summi ejus in-

terris

terris Vicarii æquitatis, pietatis, ac Religionis redimere tantam innocentium turmam à calumniis hominum, ut mandata Dei fideliter, ac tranquillè in extremis Orbis Chriſtiani finibus pergant cuſtodire.

OBSERVATIO X.

Id à Sancta Sede, & à Sacra Congregatione tantò confidentiùs ſperant, Vir Nobiliſſime, quantò ſolidiùs oſtendiſſe ſe putant, ſententiam de ritibus Sinenſium merè politicis, non modò eſſe valdè probabilem, non modò probabiliorem oppoſita, & quidem evidenter probabiliorem, ut evicit Pater Dominicus Sarpetri Dominicanus, triginta & ampliùs in Sina annorum Miſſionarius; ſed etiam eſſe tutiorem, vel fortaſſis unicè tutam; cùm nullum ſit in ea ſequenda periculum Idololatriæ, nec formalis, nec materialis; & maximum appareat in ſequenda Reverendiſſimi ſententia periculum violandæ in re graviſſi-

viſſima charitatis erga Deum & proximum, tranſgrediendìque præcepti de prædicando Gentibus Evangelio, non Petro ſolùm, & Apoſtolis, ſed & Petri Succeſſoribus, atque toti Eccleſiæ Catholicæ à Chriſto Domino impoſiti; cùm aliundè certum ſit per rituum hujuſmodi prohibitionem claudendam eſſe januam ſalutis & fidei innumeris propè hominibus ſine cauſa ſufficienti, ut nihil ampliùs jam dicamus.

Qui ſunt in Morali Theologia rigidiores Catholici, nihil ulterius exigunt, quàm ut quis ſequatur probabiliora, ſimul & tutiora in rebus obſcuris. Qui progrediuntur ulteriùs, expende, an ſint Catholici? Cùm autem dicuntur ritus Sinenſium merè politici, ſemper intelligi debent tales ex ſe, ſive ex natura ſua, ſive quoàd ſubſtantiam eſſe: Author enim obſervationum ubique ſupponit, politicis illis erga Confucium, & Progenitores ritibus ſupe-

peraddi ſuperſtitioſos, qui à Chriſtianis debent omitti, juxtà Alexandri VII. Decretum; imò & aliquandò tales adhiberi à Paganis, contrà quos neceſſe eſt ex eodem Decreto Chriſtianos proteſtari.

OBSERVATIO XI.

Iſtud verò quis non miretur, Vir Nobiliſſime, quòd cum Reveverendiſſimus ille ſuperſtitionem tanto zelo abolere velle videatur, Idololatriam conſtituat, vel ſaltem permittat? Hinc enim contendit Confucium Philoſophum, & Progenitores mortuos apud Sinas eſſe Idola, ideòque ſolemniores ritus prohibet, quibus bis in anno vult ſacrificari verè iſtis Numinibus: non prohibet tamen cultum, qui recens defunctis exhibetur, quemque videre potuit, aut ſcire nuper exhibitum à Miſſionariis non Jeſuitis per profundas ad terram uſque inclinationes, per accenſos coràm illorum imagine cereos, odoreſque:

non prohibet ritus, quibus graduandi coràm Confucii imagine, juxtà morem Patriæ honoris cauſâ procumbunt. Quaſi verò potuerit olim eſſe Chriſtianis prohibitum, Jovi, vel Neptuno ſacrificium offerre, ſed licitum tamen coràm Statua Jovis, vel Neptuni honoris gratia procumbere, accendere cereos, & odores comburere?

Hîc adverte, Vir Nobiliſſime, quodnam ſit diſcrimen circà ritus illos inter Jeſuitarum Moralem, Moralemque Reverendiſſimi. Illi poſt longum, accuratum, ac ſæpè repetitum examen, poſt diligentiam adhibitam, qua major excogitari vix poteſt, ut infrà ſuo loco videbitur, perſuaſum habuerunt nihil omninò Numinis nec in Confucio, nec in Majoribus Sinas agnoſcere, omneſque cæremonias, quibus ex Philoſophorum inſtituto honorantur, eſſe merè politicas ac civiles: quia tamen vix fieri poterat, quin ſucceſſu temporis, & poſt invectam maximè in Sinas Idololatriam, his ri-

ritibus politicis ſuperſtitioſa quædam interdùm immiſcerentur, poſt conſultam ea de re Sanctam Sedem, acceptàque ejus reſponſa, rejectis ſuperſtitioſis, vel publica contra immiſcentes talia proteſtatione improbatis, permiſerunt ſuis Neophytis politicos illos ritus, quos videbant ſe non poſſe in China prohibere ſine gravi jactura fidei, ſine certa infinitorum propè hominum damnatione, ſine continuis familiarum jurgiis, & querelis: eos autem prohibuerunt, quos, etſi non crederent illicitos, non videbant tamen propagandæ inter Sinas Eccleſiæ, aut vitandis modò dictis incommodis eſſe planè neceſſarios: de cætero omnem cultum erga Confucium, Progenitoreſque graviſſimè prohibituri tam privatum, quàm ſolemniorem, ſi crederent, ut Reverendiſſimo Domino Maigrot credere placuit ſine cauſa ſufficienti, adorari eos à Sinis, ut Numina, quemadmodùm hujuſmodi ritus ſub pœna damnationis æternæ prohibitos

tos palàm omnibus declarant erga Pagodas, quos jubent confringi, & comburi, cùm certum ſit hæc eſſe Idola. Hæc eſt Jeſuitarum doctrina, & praxis.

Reverendiſſimus autem Dominus Maigrot, & Dominus Charmot; etſi perſuaſum eſſe ſignificent, quòd verè ſacrificetur à Sinis Confucio tanquam Deo, Majoribus tanquam Numinibus, prohibent quidem hæc ipſis offerri ſacrificia, ſed non prohibent hos à Chriſtianis multiplici alio cultu honorari: cumque fieri non poſſet, quin ſua illis conſcientia inauditam Chriſtianis iſtiuſmodi Moralem exprobraret; huic ut facerent ſatis, quærendum definierunt ab Apoſtolica Sede, (*a*) an liceret Graduandis Chriſtianis ſolitos in graduum collatione honores, reverentiaſque, ac profundas inclinationes exhibere Confucio, illiuſque imagini, quam eidem Sanctæ Sedi repræſentant ut Idolum?

F In-

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 471. 472. *ibid.* 382.

Indignam omninò Sorbonicis Doctoribus quæſtionem, quam mirum eſt potuiſſe feriò fieri, nec convincens argumentum profundæ illorum circà mores ſcientiæ! Ab iſtiuſmodi tamen hominibus reformantur Apoſtolicæ Sedis Decreta: ab iiſdem definitur non poſſe Miſſionarios Apoſtolicis reſponſis tuta conſcientia inniti. Exterminandi ſunt Jeſuitæ, quia Sanctæ Sedis Decreta obſervant, ejuſque reſponſis, ut regulis non fallentibus, innituntur.

Hîc exclamat Dominus Charmot, res falſas, & abſurdas ſibi ac Reverendiſſimo Domino à Patribus Societatis affingi. (a) *Ut nobis*, inquit, *inſultent, & tanquam propriæ conſcientiæ judicio damnatos traducant. Nuſquam diximus Confucium à Sinis Litteratis ut Deum, Majores ut Numina coli.*

Sed Primo. Quid ergo ſibi volunt

(a) Hiſt. cult. Sin. pag. 296.

lunt hæc verba Domini Charmot? *Quid poteſt (a) inquit, expreſſius deſiderari, ut conſtet Confucium tanquam aliquod Numen à Sinis coli?*

Secundo. Quid ſibi vult, cum ubique clamat Confucium, & Progenitores (*b*) veris coli Sacrificiis, & in veris Templis, atque Altaribus?

Tertio. Quid ſibi vult Dominicanorum Apologiſta, cum ait: (*c*) Fruſtrà nobis objiciunt, qui pro Jeſuitis conſcripſere Apologias, non agnoſci Confucium in China ut Deum. Nunquid enim eo ipſo Deus agnoſcitur, quòd ei ſacrificatur?

Quartò. Sed benè, quod palinodiam canat Dominus Charmot, & jam agnoſcat Confucium, & Majores non coli ut Deos in China: iis ergo non ſacrificatur. Qui hos colunt non erunt Idololatræ.

F ij OB-

(a) Ibid. pag. 488. (b) *Ubique paſſim.*
(c) *Apolog. Domin. pag.* 38.

OBSERVATIO XII.

Mirabuntur procul dubio plurimi, cur Mandatum ſibi tam parum cohærens, tot contradictionibus plenum, tam injurioſum Sanctæ Sedis authoritati; tam levibus innixum fundamentis, Chriſtianæ ſapientiæ legibus tam oppoſitum, inconſulta Sacra Congregatione, inconſulta Apoſtolica Sede, Reverendiſſimus Dominus Maigrot parum ipſe in eo conſultus promulgarit.

Mirari deſinent, qui legerint adjunctam huic contrà Jeſuitas Mandato Expoſitionem Reverendiſſimi. In ea enim advertent tot infenſi in Jeſuitas animi ſigna; tam affectatum contemptum viri ea omnia in Reverendis, ut ait, Patribus ſtudioſè dedignantis; quæ ceteri ferè omnes, quæ Romani ipſi Pontifices putaverant non adeò contemnenda; tam amaras de Patribus illis querelas, occaſione præſertim

ſuæ

ſuæ revocationis, quam fert ægerrimè ab uno ex illis eſſe ſibi ſignificatam, ab illo nimirùm, quem Archiepiſcopus Goanus Vicarium Generalem nominavit in Provincia Reverendiſſimi, poſt compoſitum Sacræ Sedis authoritate negotium Luſitanicum, circà juriſdictionem Ordinariorum: hæc inquam & alia hujuſmodi tam multa detegent, ut non ſint jam miraturi conſtitutum illud Mandatum fuiſſe poſt admodum paucos, fortè duodecim, à ſignificata iſta revocatione dies, & in hujuſmodi Mandatum Reverendiſſimum nihil horum advertiſſe, quæ alios ſtatim offendunt. Ubi enim intercedunt humani affectus, neceſſe eſt multa intervenire, & latere, quæ zelus verè Apoſtolicus & ſecundùm ſcientiam detegeret. Unde etſi tales ſibi adulentur, quaſi non aliam habeant intentionem, quàm præſtandi Deo obſequium, hos non eſſe propterea corám Deo excuſandos Chriſtus pronunciat, & quos ex tali intentione accuſant,

non eſſe quoque propterea à ſe damnandos. Alioqui væ Martyribus.

Satis leviter reponit diſpunctor, ſine cauſa conqueri Jeſuitas de infenſo Reverendiſſimi in illos animo: ſed hinc captat occaſionem ea de Janſeniſmo ſpargendi, quæ an Catholicum hominem deceant, tibi, Vir Nobiliſſime, relinquitur judicandum.

Dedit occaſionem de Janſeniſmo agendi ipſe Reverendiſſimus; Sic enim in ſua expoſitione ad Apoſtolicam Sedem miſſa loquitur. (*a*) *Vix dubito, quin Patres Societatis, uti jam fecerunt, dicant ſtatim me Hæreticum, & Janſeniſtam eſſe.*

Author obſervationum non debuit ad hæc ſilere: Repoſuit hanc Reverendiſſimi ſuſpicionem, & querelam inter cauſas ſuæ in Jeſuitas indignationis.

Tum reſpondet 1. Illuſtriſſimum Do-

(*a*) Hiſt. cult. Sin. pag. 383.

Dominum Maigrot, neque Hæreticum à ſe dici, neque Janſeniſtam. *Abſit*, inquit, *ut ex eo præcisè quòd Societati adverſatur, Janſeniſmi erroris illum inſimulem: licet enim omnes Hæretici, imprimiſque Janſeniani tam occulti, quàm manifeſti ita Societatem oderint, ut jam inde ab initio inſtitutionis ejus, & à ſexaginta annis præſertim ad eam vel deſtruendam, vel infamandam nihil non moveant; conſpirentque nunc maximè, ut audimus, in id conſilii; quia tamen & reperiuntur Catholici, qui aliis de cauſis Jeſuitis infenſi deteguntur; hæc ratio ſi ſola ſit, non eſt ſufficiens notæ hujuſmodi inurendæ fundamentum*. Videt ibi Dominus Charmot non omnes Jeſuitarum adverſarios haberi ab ipſis Janſeniſtas.

Reſpondet 2. *neſcire ſe, an Janſeniſta dictus ſit Reverendiſſimus Dominus Maigrot à Sinis Patribus; & ſi ita nuncupatus eſt, an cum fundamento, & quo? Audiendos illos eſſe, vel ut ab impactâ calumniâ*

 tali

tali ſe purgent, vel ut dicti rationem reddant.

Quid prudentiùs potuit reſpondere Author obſervationum? Conqueritur Reverendiſsimus ſe vocatum eſſe in China Janſenianum à Jeſuitis. Author obſervationum, qui eſt Romæ, non tenetur præcisè ob iſtam Reverendiſſimi querelam arbitrari Jeſuitas Sinenſes calumniatores eſſe. Reſpondet igitur, ſe id neſcire; eſsèque ſuper ea re audiendos Jeſuitas illos, ut vel ab impacta ſibi calumnia ſe purgent, vel ut dicti rationem reddant. Quid in hoc arguit Dominus Charmot?

Reſpondet 3. ſibi videri, quòd Reverendiſſimus Dominus vel non debuiſſet hujus accuſationis facere mentionem, vel quòd debuiſſet hanc efficaciùs refutare: nam dicere tantùm in genere, quòd nunquam detrectaturus ſit probare ſe apprimè Catholicum quacumque ratione, & quotieſcumque opus erit; ita loqui in genere quotidiè non dubitant, qui verè Janſeniani ſunt. Po-

Potuiſſet ergo Reverendiſſimus ex China deferens Romam hanc ſui de Janſeniſmo accuſationem paucis verbis efficaciùs refellere, declarando damnari à ſe tanquàm hæreticas quinque Janſenii propoſitiones, & in ipſo Janſenii ſenſu ſic à ſe damnari.

Hîc vehementiùs inſurgit Dominus Charmot in obſervationum Authorem, quòd in ſenſu Janſenii damnandas dixerit quinque propoſitiones: (a) *Ubi ſatis*, inquit, *apertè declarat eum, qui famoſas quinque propoſitiones in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, damnaret, fore ſemper hæreticum Janſeniſtam, niſi etiam credat, ac jurare paratus ſit hunc ipſum ſenſum eſſe Janſenii, ſeu quem Janſenius in libro ſuo, cui titulus Auguſtinus, tenuit, ac docuit. Quòd quid aliud eſt, quàm Apoſtolicum Breve Sanctiſſimi Domini noſtri eludere, præſcriptaſque ab eo ſtabilien-*

(a) Hiſt. cult. Sin. pag. 164. 165. 166.

liendæ paci Eccleſiaſticæ regulas flocci facere?

Itaque juxtà mentem Domini Charmot, quam hîc ſatis expreſſam habemus, ſatis eſt ad evitandam Janſeniſmi nominis infamiam, (a) *damnare tanquàm hæreticas quinque famoſas Propoſitiones in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt*; etiamſi non credatur, ac juretur *hunc ipſum ſenſum eſſe Janſenii, ſeu quem Janſenius in libro ſuo, cui titulus Auguſtinus, tenuit, ac docuit*. Et aliter ſentire, aut dicere, eſt, ſecundùm eundem Procuratorem, *Apoſtolicum Breve Sanctiſſimi Domini noſtri eludere, præſcriptaſque ab eo ſtabiliendæ paci Eccleſiaſticæ regulas flocci facere*. Sic autem reponit Author diſcuſsionum in notas Domini Charmot Sacræ Congregationi oblatarum.

Quàm parum, inquit, ſint hæc Or-

(a) *Author diſcuſſionum in notas D. Charmot Sacræ Congregationi oblatarum.*

Orthodoxa, quantumque Janſeniſtico fermento imbuta, abunde, opinor, evincet contextus ipſe Brevium Apoſtolicorum, ad quæ nos Dominus Charmot provocat. Nam in priore; quod quidem datum eſt die 4. Februarii 1694. expreſſa fit mentio quinque propoſitionum ex libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt *Auguſtinus*, excerptarum, & damnatarum, tum Formularii Alexandri VII. quod ita habet: *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maii* 1653. *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ die* 16. *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia!* Ubi & notanda ſunt verba illa Conſtitutionis prædictæ Alexan-

dri VII. ad quam formularium remittit. *Cum autem, ſicut accepimus,* inquit Summus ille Pontifex, *nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii, non reperiri, ſed ficte, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere, magno cum Chriſti Fidelium ſcandalo, non reformident, &c.*

An non ſufficiant hæc ad oſtendendum juxtà Apoſtolicam Sedem, non ſatis eſſe ad vitandam Janſeniſmi infamiam damnare tanquàm hæreticas famoſas quinque Propoſitiones; *etiam in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt*, ut contendit Procurator, *niſi etiam credatur ac juretur hunc ipſum ſenſum eſſe Janſenii, ſeu quem Janſenius in libro ſuo, cui titulus Auguſtinus, tenuit, ac docuit*, contrà quam ſentit idem Procurator? An Breve illud Apoſtolicum Sanctiſſimi Domini Noſtri, ad quod nos ille provocat, aliud evincit?

An non potiùs ſic ille manifeſtè oſtendit, ſe eſſe ex eorum numero, adversùs quos idem Sauctiſſimus Dominus Noſter Breve Apoſtolicum poſteriùs ſcripſit die 24. Novembris 1696. Ubi ſcilicet Summus Pontifex Innocentius XII. dicit *ſe non ſine admiratione intellexiſſe nonnullos illis in Diœceſibus* (Belgii) *reperiri, qui verbis, & calamo auſi fuerint affirmare ſupradicto ſuo Brevi alteratam, ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alexandri VII. 16. Octobris anni 1656. editam, necnon Formularium ab ipſomet pronunciatum; cùm dicto Brevi utrumque ſpecificè confirmetur; & omninò intenderimus*, inquit, *& intendamus iiſdem adhærere, & nequaquàm ſinere ut aliquid addatur, vel dematur à prædicto Formulario, illud quocumque modo alterando in aliqua ejus minima parte; ſed quod in omnibus & ſingulis ejuſdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam adamuſſim obſervari.*

Itaque id etiamnùm audet affirmare

mare Dominus Nicolaus Charmot, vel qui ejus nomine notas conſcripſit, nec jam in angulo & in occulto, ſed palàm ac manifeſtè in ipſa Apoſtolicæ Sedis luce, quod Sanctiſsimus Dominus Noſter teſtatur à ſe non ſine admiratione intellectum fuiſſe de certis quibuſdam hominibus procul exiſtentibus, nimirùm priore illo *Brevi Apoſtolico alteratam, reformatam eſſe* Conſtitutionem Alexandri VII. 16. Octobris anni 1656. editam, necnon Formularium ab ipſomet pronunciatum. Id audet, inquam, Dominus Charmot, quando dicit non alīud jam expeti à Sancta Sede, quàm ut famoſæ quinque propoſitiones damnentur, tanquàm hæreticæ in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt; minimè verò *ut credatur, ac juretur hunc ipſum ſenſum eſse Janſenii, ſeu quem Janſenius in libro ſuo, cui titulus Auguſtinus, tenuit ac docuit*, eo ſcilicet verborum tenore, qui in Formulario Alexan-
dri

dri VII. expreſſus eſt, Qui & ad ſuæ cumulum audaciæ, audet hoc etiam loco, eos qui aliter ſentiunt, hoc eſt, qui pugnant pro Bullis & Conſtitutionibus Summorum Pontificum, ac nominatim pro Brevibus Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii XII. accuſare, quòd *Apoſtolicum Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri eludant, præſcriptaſque ab eo ſtabiliendæ paci Eccleſiaſticæ regulas flocci faciant*. Haud ſcio an aliud ſit exemplum ſimilis audaciæ?

Interim verò erit, ut ſpero, Sapientiæ Veſtræ EE. PP. duo hîc denique advertere: unum eſt, quanta cum prudentia D. Nicolaus Charmot auſus fuerit accuſationem Janſeniſmi refricare eo loco, ac tempore, quo ſe ipſe Janſeniſtam haud obſcurè profeſſus eſt juxtà inconcuſſas Eccleſiæ regulas: ex quibus non Neſtoriani ſolùm V. C. habiti ſunt, qui Neſtorianum dogma de duabus in Chriſto perſonis expreſsè tenerent, ſed etiam qui Neſtorii perſonam, aut ejus libros ab Eccleſia dam-

damnatos fuerentur, vel damnare refugerent; tametſi unam in Chriſto perſonam aſſererent, aut aſſerere ſe ſimularent. Cujus rei luculentum habemus exemplum in Concilio Chalcedonenſi act. 8. Alterum eſt; quanta fides habenda ſit Domino Nicolao Charmot res Sinicas referenti, vel interpretanti, quando Brevia Apoſtolica in conſpectu omnium poſita tam pravè intelligere ſe oſtendit, ut eas ipſas Janſeniſtarum interpretationes, ſeu veriùs cavillationes, ad quas amoliendas factæ eæ ſunt, iis adſcribere non erubeſcat, idque in conſpectu veſtro. Ita Romæ repoſuit, qui diſcuſsit notas Domini Charmot.

Sed redeamus ad Reverendiſsimum D. Maigrot, qui ſe Janſeniſſimi inſimulatum à Jeſuitis Sinenſibus querebatur. *Quidquid ſit*, inquit Obſervationum Author, *iſta vel veritas, vel calumnia non leve odium parit. Oportebat illam diluere vel ſaltem diſſimulare. Nam ſi verè Janſeniano dogmati Reve-*

ren-

rendiſſimus faveret(quod prorsùs nolim credere) vel ex hoc ipſo capite vehementer ſuſpectum eſſe deberet ipſius contrà Jeſuitas *Mandatum, ob multas, & graves rationes cunctis ſatis manifeſtas.* Nota hæc verba (*quod prorsùs nolim credere*) Quid ampliùs potuit Dominus Charmot à Jeſuita Romæ exiſtente deſiderare contrà Reverendiſſimum, qui ſe conqueritur à Jeſuitis in Chinâ Janſeniani erroris accuſatum?

OBSERVATIO XIII.

Notum eſt, quanta prudentia Evangelii Miniſtris opus ſit ad prædicandum Gentilibus Evangelium, quantùmque nocere poſſit propagationi fidei indiſcretus, & imprudens illorum zelus. Unde Chriſtus, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Conqueritur alibi, *filios tenebrarum prudentiores eſſe filiis lucis.* Neque dubium eſt, quin ab iis graviſſimè peccari poſſit, niſi involunta-

ria inadvertentia illos excuſet, qui ſinentes ſe abripi indiſcreto fervore, perſecutioni fidelium dant occaſionem, vel à fide Gentes removent, ex eo quod in iis tolerare nolint, quæ juxtà ſuave Evangelii jugum tolerari verè ac Chriſtianè poſſunt. Id ne fiat in detrimentum fidei, jam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ graviter cautum eſt.

Ac primo quidem quàm multa, & ſæpè in Gentilibus ſuperſtitioſa, ut ad fidem allicerentur illi faciliùs, mutata intentione ſanctificarunt, atque permiſerunt antiqui Legis Evangelicæ Præcones? Audiatur Baronius. (a) *Nonne patet* inquit, *multa ex ſuperſtitione Gentilitiâ in Chriſtianam noſtram religionem laudabiliter eſſe translata? Id quidem aliis adhuc exemplis, atque Patrum teſtimoniis, & autoritate oſtendimus, & nominatim quoàd cereos, atque lampades.* Et

(a) *Anno Chriſti* 58. *num.* 78.

Et quis jure calumnietur, ſi quæ olim Idolis, ait Hieronymus, *eodem modo Martyribus offerantur? Quis denique calumnietur, ſi quæ olim diebus Sabbati lucernæ accendebantur in Templis, modò conſimiles in Dei Genitricis honorem ſint translatæ?*

Iterùm: (a) *Sed quid non licuit, quæ apud Gentes ſuperſtitioſo cultu impiè agerentur; eadem expiata ſacro ritu ad pietatem transferre, ut majori diaboli contumeliâ, quibus ipſe coli voluerit, Chriſtus ab omnibus honoraretur? Id inter alios feciſſe conſtat Magnum illum Gregorium, ob præclaras ab eo res geſtas cognomento Thaumaturgum, qui Gentilium ferias ſuperſtitionibus cumulatas in Feſta ac celebritates Sanctorum Martyrum commutavit.*

Et verò Sancti Patres conſuetudines Romani Imperii tolerabiles permiſerunt; aut planè ſuperſti-

(a) *Anno* 44. *nu.* 68.

tioſas, ut dictum eſt, ſanctificarunt, ea plerumque de cauſa, teſte Baronio, ut ne earum conſuetudinem, quibus adhærebant Infideles, imprudens, ac intempeſtiva prohibitio Evangelii propagationem retardaret.

Idem addit, quòd, cum *Gregorius Thaumaturgus advertiſſet, quòd propter corporis voluptates ſimplex, & imperitum vulgus in errore ſimulacrorum permaneret, convivia in honorem Idolorum fieri ab omnibus, certis diebus, ſolita, is permiſerit, ut eadem Chriſtiani, ſed in honorem Sanctorum Martyrum, celebrarent*. Quis dubitet quin in his omnibus permittendis, vel commutandis fuerit aliquod inconveniens? Verùm Sancti Patres judicarunt eſſe adhuc longè majus in claudendo Gentilibus fidei oſtio, quàm urgente Chriſti præcepto prædicare illis debet Eccleſia. Quantò ergo faciliùs debent permitti in China ob eandem rationem ritus ac cæremoniæ, quæ tanto cum fun-

fundamento judicari poſſunt civiles & politicæ?

Secundò. Eadem antiquiorum veſtigia ſecuti ſunt Sancti Pontifices; qui temporis decurſu in regna Infidelium Chriſtianam fidem invexerunt. (a) *Dicite Auguſtino,* inquiebat Gregorius Magnus, *quid diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractavi: videlicet quòd fana Idolorum deſtrui in eadem gente minimè debeant, ſed ipſa, quæ ſunt in eis Idola deſtruantur: aqua benedicta fiat: in iiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur .... Ut dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & verum Deum cognoſcens, ac adorans, ad loca quæ conſuevit familiariùs concurrat. Et quia Boves ſolent in ſacrificio Dæmonum multos occidere, debet eis etiam de hac re aliqua ſolemnitas immutari; ut die dedicationis, vel natalitiis*

(a) *Beda libr.* 1. *hiſtor. Eccleſiæ Sanctæ Gentis Anglorum cap.* 30.

Sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent; nec Diabolo jam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant: ut dum eis aliqua exteriùs gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe non dubium eſt: quia & is qui ſummum locum aſcendere nititur, gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus elevatur...... Hæc igitur dilectionem tuam (loquitur Mellito Abbati in Angliam pergenti) *hac, inquam, fratri noſtro Auguſtino neceſſe eſt dicere, ut ipſe in præſenti illic poſitus perpendat, qualiter omnia debeat diſpenſare.*

Ita S. Gregorius Auguſtino ad convertendos Anglos miſſo: Ubi

nota, Vir Nobiliſſime, Templa Idolorum non deſtructa, ſed conſecrata ſoli Deo, ut ad loca, quæ conſueverant, Gentiles converſi *familiarius concurrerent.*

Iterùm nota ſolemnitates Idolorum in ſolemnitates Martyrum in iiſdem locis commutatas: Rursùm nota Boves in honorem Dæmonum prius occiſos, ibidem ad laudem Dei ad convivia Fidelium occidi. Denique nota præclaram illam, ac prudentem hujus indulgentiæ rationem: Nam *duris*, inquit, *mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe non dubium eſt.*

Utinam qui mittuntur ad Infideles aut Apoſtolici Vicarii, aut Epiſcopi, imitentur omnes non modò Gregorii Magni pietatem, ſed & prudentiam. Quantò majori & alacritate, & fructu in excolenda Domini vinea inſudarent Evangelii Miniſtri, duriora ſæpè ab illis paſſi, quàm ab ipſis Infidelibus?

Tertiò, S. Ambroſius in Pſal. 118. ità loquitur. *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana fragilitas ſuſtinere. Timor in eo eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere: ſed inſcitia in eo eſt, quia non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem.* Ipſe S. Auguſtinus quàm prudenter, & ſuaviter velit etiam veros abuſus tolli, patet ex ſequentibus. Docet enim convivia, quæ ad memorias Martyrum bona intentione fieri permiſſum fuerat in Africa, dediſſe occaſionem multis erroribus, & vitiis; quia tamen difficile erat iſta omninò prohibere, ſic malo medetur, ut infirmitati malè agentium etiam conſulat.

Non ergo aſperè, inquit, *quantùm exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur, magis movendo quàm minando. Sic enim agendum eſt cum multitudi-*

ne; ſeveritas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Et ſi quid minamur; cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur. Ita priùs movebuntur ſpiritales, vel ſpiritalibus proximi, quorum autoritate, & leniſſimis quidem ſed inſtantiſſimis admonitionibus cætera multitudo frangatur. Sed quoniam iſtæ in cæmeteriis ebrietates, & luxurioſa convivia, non ſolùm honores Martyrum à Carnali, & imperita plebe credi ſolent, ſed etiam ſolatia mortuorum, mihi videtur faciliùs illic diſſuaderi poſſe iſtam fœditatem, ac turpitudinem, ſi & de Scripturis prohibeatur, & oblationes pro ſpiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuvare credendum eſt, ſuper iſtas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque omnibus petentibus ſine typho; & cùm alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed ſi quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit in præſenti,

pauperibus eroget: Ita nec deſerere videbuntur memorias ſuorum, quod poteſt gignere non levem cordis dolorem; & id celebrabitur in Eccleſia, quod piè, & honeſtè celebratur. Hæc Auguſtinus.

Si tam cautè, & tam ſuaviter agendum eſſe cum Chriſtianis ſuadet Chriſtiana prudentia, quantò cautiùs, & ſuaviùs agendum eſt cum Infidelibus, quos ad Chriſtum adducere velis, ut ea tolerando diſſimules, quæ verè tolerari poſſunt?

Quartò. Fuit ſemper hæc mens, & intentio Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, ut clarè ſignificavit Vicariis Apoſtolicis, cùm eos in Indias miſit. (a) *Nullum*, inquiebat, *ſtudium ponite, nullaque ratione ſuadete illis populis, ut ritus ſuos, conſuetudines, & mores mutent, modò ne ſint apertiſſimè Religioni, & bonis mo-*

ri-

(a) *In inſtructione miſſa ad Vicarios Apoſtolicos.*

ribus contraria . (a) *Quid enim abſurdiùs , quàm Galliam , Hiſpaniam , aut Italiam , vel aliam Europæ partem in Sinas invehere ? Non hæc ad fidem importare , quæ nullius Gentis ritus , aut conſuetudines , quæ modò prava non ſunt , aut reſpicit , aut lædit ; imò verò ſarta tecta eſſe vult* . Si tam prudens conſilium fuiſſet ſecutus Reverendiſſimus Dominus Maigrot , Decretum , de quo eſt quæſtio , nunquàm promulgaſſet . Conſuetudines enim , quas vult abolere , non ſolùm , ut fateri ipſe cogitur , non ſunt aut Religioni , aut bonis moribus apertiſſimè contrariæ, ſed Miſſionariis noſtris omninò perſuaſum eſt nullo modo eſſe contrarias : ut infrà patebit.

Quintò. Eadem Sacra Congregatio in reſponſis ad Quæſita Rev. Patris Morales ex Sacro Ordine Sancti Dominici, quid ſentiret, ſatis aperuit : etſi enim fervens ille Miſ-

(a) *Vide* 2. *tom. P. le Tellier, p.* 246.

Miſſionarius nondùm ſanè tunc temporis de Sinenſium moribus ſatis inſtructus, ut ipſe poſtmodùm advertit, ſic ea propoſuiſſet, ut & ſibi, & Sacræ Congregatione facere injuriam videretur, poſtulando, an eſſent necne licita; cum meridianâ luce clarius eſſet illorum pleraque eſſe illicita, ſi benè proponerentur & verè; eadem tamen Sacra Congregatio non ſemel ita reſpondit, ut apertè conſtaret, quid à ſapienti Miſſionario tolerari oporteret in his locis, quid non tolerari.

Declaravit enim 1. ad 15. Quæſitum, *excluſis Sacrificiis, & altari verè & propriè dicto, cætera quæ redolent tantummodò cultum civilem, aut poſſunt ad illum reduci, permitti poſſe*. Nihil aliud unquàm voluerunt Societatis Miſſionarii. 2. ad Quæſitum 14. circà vocem *Xing*, ejuſque uſum ſapientiſſimè definierit, *ſi ea vox in Regno Sinarum habet latitudinem, poſſe Miniſtros ea uti ad compellandum*

Con-

Confucium; ſi verò reſtringatur ad ſignificandam veram & perfectam ſanctitatem, nullatenùs poſſe. Certum eſt autem vocem illam, & alias, quæ de controverſiis occaſionem dederunt de Sacrificio, & de Templo, magnam apud Sinas in ſignificando latitudinem habere.

3. Ad Quæſitum 12. de Mortuorum tabellis, ante quas inclinationes fiunt, accenduntur candelæ, &c. reſpondit: Poſito, *quòd menſa parata*, in quâ imago defuncti ponitur, *ſit quædam tabula*, non autem *verum & proprium altare, ſi cætera continentur intra limites obſequii civilis & politici, eſſe toleranda.*

Sextò. Sacra Congregatio Sancti Officii ad Quæſita P. Martinii anno 1656. approbante Summo Pontifice Alexandro VII. ſic reſpondit, ut manifeſtè pateret, quouſque indulgeri poſſe ſentiret Apoſtolica Sedes Sinarum infirmitati, Sanctorum Patrum, & Apoſtolorum ipſorum exemplo, ut fieret illis minùs diffi-

difficilis ad Evangelicam fidem adi-tus. Præſcindendo enim nunc temporis à bonâ vel malâ dicti Patris informatione, certum eſt clarè definitum eſſe à Sanctâ Sede. 1. Quòd propoſitæ ab illo erga Defunctos cæremoniæ poſſint in Sinenſibus converſis tolerari. 2. Quòd cæremonias illas obſervare poſſint Chriſtiani cum Gentilibus, abſtinendo tamen à ſuperſtitioſis, ſi quæ forte Gentiles prædicti ritibus adderent, agerentque. 3. Quòd iidem Chriſtiani propter cauſas in Quæſitis expreſſas intereſſe licitè poſſent, etiam cum Gentiles ſuperſtitioſa illa agerent, præſertim factà fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis. Iſta, inquam, manifeſtè definita ſunt à Sacrâ Congregatione Sancti Officii, approbante ſummo Pontifice, ſive benè informaverit Pater Martinius ſive malè. Si enim benè, res per ſe patet: ſi autem malè, diſſimulando aliqua, quæ ſint alicujus momenti, id non impedit quin ſit veriſ-

riſſimum, poſſe juxtà Sanctam Sedem prædictas cæremonias, ut ſunt propoſitæ, obſervari à Chriſtianis; nimirùm ex hypoteſi, quòd nihil diſſimulatum illas vitiare poſſit. Quale v. g. iſtud eſſet, ſi nempe Progenitores defuncti à Sinis haberentur Idola; ſi in vero & propriè dicto altari illorum tabellæ collocarentur; veraque illis offerrentur ſacrificia: quæ planè falſa ſunt, ut videbitur infrà pluribus.

Conſtat intereà Romanos hodie Pontifices, ſicut olim, in id incumbere, ut Gentibus oſtium Fidei imprudenter non claudatur: cum enim ipſi præ cæteris, ut potè Eccleſiæ Catholicæ, ſupremi, atque œcumenici Paſtores teneantur, quantum in ſe eſt, procurare ut juxtà Chriſti mandatum omni creaturæ, & per totùm orbem prædicetur Evangelium, annuncieturq; illa fides; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ſalvari; id cavendum ſemper exiſtimarunt, ne ex zelo non ſecun-

cundùm ſcientiam , aut defectu Chriſtianæ indulgentiæ in tolerandis Gentium ritibus, qui ſalvâ fidei & religionis ſubſtantiâ tolerari poſſunt; ab eâdem amplectenda fide viri Apoſtolici Paganos & Infideles deterrerent.

Septimò. In hoc hodierni Pontifices non modò antiquos imitantur, ſed & ipſos Apoſtolos. Mirari ſatis nemo poteſt quàm cautè, quam prudenter, quam benignè illi cum Judæis agerent, ut hos Chriſto lucrarentur. Nam etſi ipſo die Pentecoſtes abrogata fuerit Lex Moſaica, ideòque obligare jam inde ceſſaverit, ne tamen Judæos offenderent, & à Chriſtiana fide removerent, ita ſe gerebant Apoſtoli, ut ex illorum agendi modo aliquam habere poſſent cum Judæi, tum Gentiles occaſionem credendi, obſervari adhuc debere hanc legem. Quin etiam eò uſque proceſſit indulgentia Petri erga Chriſtianos ex Judæis, ut hanc Paulus reprehenderit, quaſi injurioſam

iis

iis, qui ex Gentibus facti erant Chriſtiani. Ipſe Paulus omnibus omnia factus, ut omnes lucri faceret, Timotheum, quem ſibi aſſumebat diſcipulum, & comitem *Circumcidit*, inquit Lucas, *propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quod Pater ejus erat Gentilis*. Sed legendum 21. caput Actorum. *Cùm veniſſemus Jeroſolymam*, ait Lucas, *libenter exceperunt nos Fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Jacobum, omneſque collecti ſunt Seniores. Quos cùm ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius. At illi, nempè Jacobus & Seniores cùm audiſſent, magnificabant Deum dixeruntque ei: Vides, Frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt Legis. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per gentes ſunt, Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque*

ſecundùm conſuetudinem ingredi. Quid ergò eſt? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te ſupervenisſe. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita: & ſcient omnes, quia, quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens Legem .... Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque illorum oblatio.

Quàm multa, quæ non poſſent nunc excuſari, tunc temporis aut fiebant, aut tolerabantur ab ipſis etiam Apoſtolis, eo tantùm fine, ut in iſtis principiis Judæi ab Evangelio minùs abhorrerent; ut ad eos inſtituendos facilior eſſe aditus; ut ad Chriſtum ſuavius adducerentur. Timotheum Paulus circumcidit; in Templo Jeroſolymitano ſe purificat; ibi-

ibidem pro illo oblatio offertur: id ipſi ſuadent Jacobus & Seniores; & propterea ſuadent, quia ex Judæis Chriſtiani audierant doceri à Paulo, quòd nec debebant filios ſuos circumcidere, nec Legem Moyſis obſervare; putabant autem Judæis converſis in hoc puncto tunc adhuc infirmis indulgendum eſſe, imò & non converſis neceſſarium, ut Paulus toto orbe tam celebris, videretur non modò non loqui contrà legem, ſed illam cuſtodire. Acquieſcit Paulus Iacobi atque Seniorum conſiliis; Paulus, inquam, tam ardenter alioqui pugnans contrà Legem, atque Legis juſtitiam, dum Gentibus Chriſtum annunciat: Unde Chryſoſtomus occaſionem arripit celebrandæ Pauli prudentiæ quâ (a) *omnibus omnia factus, juxtà loca & tempora, vitæ modum variat; & quaſi ambidexter nunc judaicè, nunc gentiliter, ſemper autem Chriſtianè vivit, & agit.*

Nono. Sed non erit forte inutile hic

(a) *Homil. 5. de ejus laudibus.*

etiam quaſi obiter expendere, quantùm iſtam Populi prudentiam miraretur Ambroſius non ſolùm in agendo, ſed etiam in docendo, dum habitam ab illo Athenis concionem explicaret. Sic enim inſtruit Sanctus Doctor Miniſtrum Evangelii. (a)

Ordo igitur, inquit. *diſputationis, eſt ordo tractatus. Et ideò etiam nos cum aliquem ex Gentibus vocamus ad Eccleſiam ita præceptorum ſeriem formare debemus, ut primò unum Deum authorem mundi, omniumque eſſe doceamus, in quo vivimus, ſumus, & movemur, cujus & genus ſumus, ut nec ſolùm propter munera lucis & vitæ, verùm etiam propter cognationem quandam generis diligendus à nobis ſit.*

Deinde opinionem illam, quæ eſt de Idolis, deſtruamus, & quòd non poſſit argenti, aurique, vel ligni ma

(a) *In Commentario lib.6. In cap.9. Lucæ.*

materia vim in ſe habere divinam. Cum unum Deum eſſe perſuaſeris, tunc judicio ejus adſtrues per Chriſtum nobis ſalutem datam; incipiens ab illis, quæ geſſit in corpore, & ea divina deſcribens, ut pluſquàm homo fuiſſe videatur, victam unius virtute mortem, mortuumque ab Inferis ſuſcitatum. Paulatim enim fides creſcit, ut cum ſuprà hominem eſſe videatur, Deus eſſe credatur: nam niſi probaveris quòd facere illa ſine divina virtute non potuit, quomodò potes probare in eo fuiſſe virtutem divinam?

Sed fortaſſe nobis parum authoritatis & fidei deferetur. Lege ſermonem Apoſtoli apud Athenienſes habitum, qui ſi primò deſtrueret cæremonias Idolorum, ſermonem ejus aures Gentilium reſpuiſſent. Ab uno igitur Deo operatore mundi incipit dicens, Deus qui fecit mundum, & cuncta, quæ ſunt in eo. Negare non poterant unum operatorem eſſe mundi, unum Deum, unum omnium Creatorem. Adjun-

xit eò quòd Cœli, & terræ Dominus in manufactis non dignetur habitare: deinde quòd intrà auri, argentique caſſam materiam nequaquàm veriſimile eſt artificio hominis vim divinitatis includi; erroris remedium docens eſſe ſtudium pœnitendi. Tunc venit ad Chriſtum; nec tamen Deum maluit quàm hominem nuncupare, dicens in viro quo definivit, præbens omnibus fidem, ſuſcitans eum ab Inferis. Qui enim tractat, debet audientium conſiderare perſonas, ne prius irrideatur, quàm audiatur. Quando enim Athenienſes crederent, quia Verbum caro factum eſt, & de Spiritu Sancto Virgo concepit, qui irridebant, quia Reſurrectionem audierant mortuorum? Tamen & Dionyſius Areopagita credidit, & alii crediderunt in virum, ut in Deum crederent. Quid intereſt quo quiſque credat ordine? Non in principiis perfecta quæruntur, ſed de principiis ad ea, quæ perfecta ſunt, pervenitur. Ergo tali Athenienſes in-

informavit præcepto : talis nobis apud Gentiles ordo ſervandus eſt . Ita Ambroſius .

Hæc dicta ſint ut appareat, quàm ſequi debeant methodum , quam habere prudentiam Evangelii Miniſtri non in agendo tantum cum Gentilibus , ſed etiam in his inſtruendis : hæc autem in Sinis longè magis adhuc neceſſaria eſt, quàm alibi , ob genium gentis . Unde patet , quàm parùm prudenter, etſi ex bono zelo , quidam Religioſi Chinam aliàs occultè ingreſsi, nullis adhibitis cautionibus , putaverint palàm eſſe ſtatim per plateas , & vicos Chriſtum illis annunciandum, Crucifixi imaginem præferentes , edicta contrà Chriſtianam fidem publicè lacerantes , ſeſe Martyrio offerentes, & alia hujuſmodi ſigna exhibentes zeli non ſecundùm ſcientiam.

Viderunt enim ſua ipſi experientia nullum alium extitiſſe ſui ipſius zeli fructum , quàm intermiſſas Sinarum converſiones , perſecutionem Chriſtianorum, everſiones

Templorum, ſeu converſiones in ſtabula, exilium Miſsionariorum; ipsìque tum maximè adverterunt, quàm ſapienter olim in Concilio Eliberitano decretum ſit, non eſſe reponendos inter Martyres, qui ob confracta ex iſtiuſmodi zelo, ac propria ſponte Idola, à Paganis occiderentur. *Placuit illos*, inquit Concilium, *in numerum non recipi Martyrum*, ut potè qui ſua imprudentia & ſe, & alios, totamque Eccleſiam graviſsimæ exponerent tempeſtati.

Quæ dicta ſunt in hac obſervatione, etſi videatur Dominus Charmot ea contemnere, (*a*) *quaſi ineptè*, ut ait, *ab obſervatore adhibita*, quippè *quæ nihil prorsùs ad rem faciant*, ſenſit tamen non parùm premere Reverendiſſimum ſuum Dominum: imò tam malè iis ipſe reſpondet, ut ſatis pateat, cur ad ſimulatum iſtiuſmodi contemptum recurrerit.

Id primum arguit, quòd obſerva-

(a) *Hiſt.cult.Sin.pag.* 93.

vationum Author poſt allata Baronii verba ſic concludat. *Quantò faciliùs debent permitti in China ob eandem rationem ritus ac cæremoniæ, quæ tanto cum fundamento judicari poſſunt civiles ac politicæ?*

Hoc, (a) inquit Diſpunctor, *eſt ridiculâ petitione principii ſupponere, eſſe valdè probabile hos cultus eſſe merè civiles ac politicos*. Non facilè intelligas, quid velit his verbis ſignificare Diſpunctor: Nam primo, dum ſic loquitur, videtur ipſe ſupponere licitos eſſe Chriſtianis in China hos cultus, quos probabile eſt merè civiles eſſe ac politicos: id ſi non ſupponat, non eſt cur deinceps contendamus: ipſe enim Reverendiſſimus non negat hoc eſſe probabile, imò & probabiliùs: fatetur enim Miſſionarios Sinenſes, qui adhibuêre illos ritus, id amplexos eſſe quod *ſibi magis conſonum veritati videbatur*. Ergo & debet cum illo fateri hujuſmodi Miſſionarios *non eſſe culpandos*, ſi-

(a) *Ibid. pag.* 94.

Templorum, ſeu converſiones in ſtabula, exilium Miſsionariorum; ipsìque tum maximè adverterunt, quàm ſapienter olim in Concilio Eliberitano decretum ſit, non eſſe reponendos inter Martyres, qui ob confracta ex iſtiuſmodi zelo, ac propria ſponte Idola, à Paganis occiderentur. *Placuit illos*, inquit Concilium, *in numerum non recipi Martyrum*, ut potè qui ſua imprudentia & ſe, & alios, totamque Eccleſiam graviſsimæ exponerent tempeſtati.

Quæ dicta ſunt in hac obſervatione, etſi videatur Dominus Charmot ea contemnere, (a) *quaſi ineptè*, ut ait, *ab obſervatore adhibita*, quippè *quæ nihil prorsùs ad rem faciant*, ſenſit tamen non parùm premere Reverendiſſimum ſuum Dominum: imò tam malè iis ipſe reſpondet, ut ſatis pateat, cur ad ſimulatum iſtiuſmodi contemptum recurrerit.

Id primum arguit, quòd obſerva-

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 93.

vationum Author poſt allata Baronii verba ſic concludat. *Quantò faciliùs debent permitti in China ob eandem rationem ritus ac cæremoniæ, quæ tanto cum fundamento judicari poſſunt civiles ac politicæ?*

Hoc, (a) inquit Diſpunctor, *eſt ridiculâ petitione principii ſupponere, eſſe valdè probabile hos cultus eſſe merè civiles ac politicos*. Non facilè intelligas, quid velit his verbis ſignificare Diſpunctor: Nam primo, dum ſic loquitur, videtur ipſe ſupponere licitos eſſe Chriſtianis in China hos cultus, quos probabile eſt merè civiles eſſe ac politicos: id ſi non ſupponat, non eſt cur deinceps contendamus: ipſe enim Reverendiſſimus non negat hoc eſſe probabile, imò & probabiliùs: fatetur enim Miſſionarios Sinenſes, qui adhibuère illos ritus, id amplexos eſſe quod *ſibi magis conſonum veritati videbatur*. Ergo & debet cum illo fateri hujuſmodi Miſſionarios *non eſſe culpandos*, ſi-

(a) *Ibid. pag.* 94.

ſimul ergo jam convenimus.

Secundo. Negat aliundè Diſpunctor ibidem, licitos fore Chriſtianis hos ritus, etſi eſſet probabile illos eoſdem eſſe apud Sinas merè politicos. Cur ergo obſervationum Authorem hîc accuſat de petitione principii?

Tertio. Non dicitur petere principium, qui efficaciter probavit quod ſupponit: id verò prætendit obſervationum Author ſe efficaciter probaſſe, quod Reverendiſſimus ipſe fatetur, *hoc magis conſonum eſſe veritati*.

Quartò, Sed nemo ſæpiùs petit principium Diſpunctore: continuò enim ſupponit veris ſacrificiis, & in veris Templis, ac propriè dictis Altaribus Confucium coli, coli Progenitores mortuos juxtà communem Sinarum perſuaſionem ac fidem: ſed nuſquam id probat.

Præterea Diſpunctor fatetur monitos eſſe graviter à Sacra Congregatione Vicarios Apoſtolicos, ne ulla ratione ſuadeant illis populis, ut

ut ritus ſuos mutent, modò ne ſint *apertiſſimè* Religioni, ac bonis moribus contrarii: Unde intulerat obſervationum Author parêre huic mandato, qui ritus controverſos permittunt; non parêre, qui illos prohibent; cum repugnet illos eſſe controverſos, & ſimul apertiſſimè contrarios Religioni. Quid ad hæc Dominus Charmot?

Illud ipſum eſt, inquit, *quod inter nos quæritur, an videlicet cultus Confucii, & defunctorum apud Sinas reipsâ contrarii ſint Religioni Chriſtianæ, & ſuperſtitione atque Idololatriâ imbuti?* Cautè advertendum, quomodò mutet ſtatum quæſtionis; ſuppreſſa hac voce (*apertiſſime*) in qua potiſſimùm is conſiſtit. Sic Dominus Charmot obſervationi ſatisfacit.

Rursùm ut fucum faciat, hæc duo ſimul confundit, quaſi æqualiter prohibita. Permittere ritus idololatricos, & permittere ritus, quos, poſt diligens examen, judico cum multis Theologis prudentibus, &

Si-

Sinicè doctiſſimis merè civiles eſſe, & nullo modo idololatricos . Primùm rejiciunt omnes è Societate Miſſionarii, ut execrabile, atque evidenter prohibitum omni jure, naturali, poſitivo, divino, humano, ac proindè mori millies mallent, quàm vel leviſſima Idololatriæ labe ſuam polluere conſcientiam, vel ritum aliquem permittere etſi leviſſimè idololatricum: Id enimverò graviſsimum eſſet ſcelus: non eſt ea de re quæſtio. At verò Sinenſes ritus, qui cum tanto fundamento judicari poſſunt civiles & politici, contendebat obſervationum Author, eo ipſo non eſſe *apertiſſimè* contrarios Religioni, ac proindè juxtà Sacram Congregationem eſſe tolerandos, maximè cum illorum prohibitione claudatur Evangelii janua & ſalutis innumeris hominibus.

Sunt ergo jure naturæ prohibiti ritus omnes idololatrici; ſed idololatrici non ſunt jure naturæ hi & illi ritus, qui ſunt ex natura ſua in-

indifferentes, ut juxtà mores conſuetudineſque Regionum fiant vel religioſi, vel civiles, pro intentione eorum, qui illos adhibent: Imò certum eſt Chriſtianis eſſe licitos in China, quandò, re diligenter expenſa, prudenter judicant, ut anteà explicatum eſt, tanquàm magis conſonum veritati, ritus hujuſmodi juxtà communem Sinarum fidem eſſe ſolum Politicos, quidquid de illis ſentiant privati aliqui ex errore, aut malitia.

Quinto. Diſplicuit Domino Charmot textus Ambroſii ab Authore obſervationum hic citatus. (a) *Longùm*, inquit, *citat locum obſervator ex S. Ambroſio, quo Pauli apud Athenienſes concionantis ſapientia, & prudentia commendatur. Ex quo autem libro, aut tractatu S. Ambroſii ſumptus ſit locus iſte, non dicit obſervator. Certè ſtylus à phraſi Ambroſiana omninò diverſus eſt, ac poſt lectos accuratiſſimos indices ultimæ editionis operum S. Am-*

(a) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 96.

Ambroſii, vix crediderim locum illum ſive in genuinis ejus operibus, ſive etiam in ſuppoſititiis, & in appendicem rejectis inveniri.

His autem verbis clarè inſinuat Dominus Charmot locum illum Ambroſii ab Authore obſervationum fictum ac ſuppoſitum fuiſſe; ſed clariùs adhuc demonſtrat ſe in hujuſmodi criticis non admodùm eſſe peritum; cum prædictus locus integer legatur in opere Ambroſii non ſuppoſititio, ſed planè genuino; eoque non recens invento, ſed ſemper agnito; ut nihil dicam de inſigni illa, quæ ibi ſe prodit, Domini Charmot præſidentia, qua, quidquid libet, audet in hac cauſa ſive affirmando, ſive negando, adverſariis ſuis imputare.

Hæ ſunt, Vir Nobiliſsime, obſervationes in Mandatum Reverendiſſimi Domini Maigrot ſumptum in genere, quas deſideraſti. Sperat obſervationum Author cunctis perſuaſum iri, tibique inprimis, ſe

am-

amplificaſſe nihil, cum dixit tot reperiri in iſto Mandato, adjunctaque illi Expoſitione defectus juris, reverentiæ erga Sanctam Sedem, æquitatis, prudentiæ, tòtque humani affectûs indicia apparere, ut vi illius Mandati nihil poſsit juridicè definiri circà ſeptem puncta, quæ continet; quamvis aliundè iſta remedio indigerent. Hæc erat prima pars Obſervationum.

In ſecunda obſervationum parte probatur, ut ante dictum eſt, ſeptem illa puncta tam parùm hujuſmodi remedio indigere, ut licet Mandatum illud extrinſecis nævis ac defectibus careret, videatur tamen quoàd ea, quæ benè præſcribit, eſſe inutile; quoàd plura, quæ male prohibet, non minus injuſtum, quàm periculoſum. Has quoque ſi deſideres, ut quàm primùm ad te mittantur, curabo.

IN-

INFORMATIONES Patrum Societatis JESU, *ſeu Libellus ſupplex ad Sacram Congregationem ſancti Officii, oblatus à Patribus è Societate* Jeſu, *deputatis adinformandum de Controverſiis Sinenſibus.*

EMINENTISS., ET REVERENDISSIMI DOMINI.

1. Cum ex Mandato Domini noſtri communicatum nobis fuerit ſcriptum illud, quo continentur ea circa controverſias Sinenſes Quæſita, quæ Theologis proponi debent, cum Relationibus Factorum ad ea Quæſita annexis: ut ſi quid occurreret nobis dicendum circa prædicta facta, ipſorum-

amplificaſſe nihil, cum dixit tot reperiri in iſto Mandato, adjunctaque illi Expoſitione defectus juris, reverentiæ erga Sanctam Sedem, æquitatis, prudentiæ, totque humani affectûs indicia apparere, ut vi illius Mandati nihil poſſit juridicè definiri circà ſeptem puncta, quæ continet; quamvis aliundè iſta remedio indigerent. Hæc erat prima pars Obſervationum.

In ſecunda verò Obſervationum Parte (quam tibi immediatè ſubjungo) probatur, ut ante dictum eſt, ſeptem illa puncta tam parùm hujuſmodi remedio indigere, ut licet Mandatum illud extrinſecis nævis ac defectibus careret, videatur tamen quoàd ea, quæ benè præſcribit, eſſe inutile; quoàd plura, quæ male prohibet, non minus injuſtum, quàm periculoſum.

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] Concilio, [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]. [illegible] [illegible]
[illegible] pars [illegible].

In ſecunda vero Controverſiarum
Parte, [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] pauca cum parum [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible], et hæc
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible], [illegible]
[illegible] [illegible], qui [illegible]
[illegible], [illegible] [illegible] [illegible], quæ
[illegible] [illegible], [illegible] [illegible]
[illegible], quam [illegible].

[illegible]
[illegible]
[illegible]

AD
VIRUM NOBILEM.

ANtequam legas hanc ſecundam obſervationum partem; nonnulla obſerves velim, Vir Nobiliſſime:

Primò. Quæ ibi dicuntur de cognitione Dei apud Sinas per duo circiter annorum millia perſeverante, deque morali aliquot Imperatorum & Philoſophorum probitate, non dici à nobis niſi hiſtoricè nec aliam mereri fidem quàm quæ ſolet profanis aliis hiſtoriis adhiberi.

Secundò. Satis eſſe ad intentum finem hæc de naturali Dei notitia intelligi, etſi videatur probabile primos Sinas, utpote Noëmi nepotes, ipſique ferè coævos, non igno-

AD

VIRUM NOBILEM.

ANtequam legas hanc ſecundam obſervationum partem; nonnulla obſerves velim, Vir Nobiliſſime:

Primò. Quæ ibi dicuntur de cognitione Dei apud Sinas per duo circiter annorum millia perſeverante, deque morali aliquot Imperatorum & Philoſophorum probitate, non dici à nobis niſi hiſtoricè nec aliam mereri fidem quàm quæ ſolet profanis aliis hiſtoriis adhiberi.

Secundò. Satis eſſe ad intentum finem hæc de naturali Dei notitia intelligi, etſi videatur probabile primos Sinas, utpote Noëmi nepotes, ipſique ferè coævos, non igno-

raſſe acceptas ab illo & in ejus familiâ conſervatas de Deo ejuſque cultu traditiones, adeòque eos vixiſſe ſaltem aliquandiù ſub Lege naturæ: cui deinde paulatim deficienti ſucceſſerit cognitio Dei partim merè naturali, partim fortè politica: ſed quo anno, vel Sæculo incertum eſt.

Tertiò. Neminem ſalvari umquam vel potuiſſe, vel poſſe niſi ex meritis Chriſti, & per fidem in Chriſtum ſive explicitam, ut in lege gratiæ, ſive ſaltem implicitam ut in lege vel naturæ, vel Moyſis. Uti docet D. Thomas. Imò neminem potuiſſe nec poſſe credere, aut vivere ſicut oportet ad ſalutem, ſine gratia Chriſti à Deo gratis data, non verò meritis naturæ conceſsâ.

Quartò. Non affirmari à nobis de ullo Sina quantumvis moraliter probo, quod Divus Juſtinus (a) *de Socrate, Heraclito, & aliis affirmavit, illos nempe haberi de-*

(*a*) Apolog. 2.

debere Chriſtianos : Solus Deus novit an inter tot Sinas vel unus ita vixerit, quemadmodum ſi quis viveret, (b) *non ſineret Deus juxta D. Thomam hunc mori abſque neceſſaria ad ſalutem conſequendam inſtructione.*

Quintò. Cùm ex Sinarum hiſtoriis ſeriùs in Chinam quàm aliò invecta ſit idololatria, ſi ita eſt, actum eſt cum Sinis indulgentius tunc temporis quàm cum aliis Paganorum nationibus ; Non poteſt tamen conferri Sinarum Gens neque cum Judæis ad quos factæ ſunt divinæ promiſſiones, neque cum Chriſtianis quibus conceſſus eſt, qui fuerat Judæis promiſſus, Chriſtus Deus homo.

Sextò. Quod Sinis annunciatus ſit Chriſtus ſeriùs quàm aliis Nationibus, præter incomprehenſibilia Dei judicia hinc fortè accidit quod cùm cognoviſſent Deum,

 non

(*b*) In quæſt. diſp. q. 14. de fide art. 11.

non ſicut Deum glorificaverunt, ſed cæteris Gentibus eo ipſo graviùs offenderunt.

SECUNDA

SECUNDA PARS.

OBSERVATIONES IN SINGULA MANDATI MAIGROTIANI CAPITA

QUÆ SUNT SEPTEM.

OBSERVATIONES in Caput primi Mandati Maigrotiani,

Quomodo ſit nuncupandus Deus apud Sinas?

ITA ſe habet primum Mandati caput ...... *Excluſis nominibus Europæis, quæ non niſi barbaro quodam modo Sinicis literis, & vocibus exprimi poſſunt, Deum, Optimum, Maximum, longo uſu recepto nomine Tiēn-chū Cęli Dominum, appellandum eſſe ſtatuimus; ita ut duæ aliæ voces Tiēn, Cęlum, Xām-tī, ſupremus Imperator, prorsùs repellantur: multò minùs affirmetur id, quod Sinæ præfatis nominibus Tiēn & Xām-tī intel-*

 ligunt,

ligunt, Deum eſſe, quem Chriſtiani colimus.

Primum illud Mandati caput quatuor puncta continet. Nam Primò. Deum apud Sinas Reverendiſſimus prohibet Europæis vocibus nuncupari. Secundò. Jubet Deum appellari *Tiēn Chū* Cœli Dominum. Tertiò. Prohibet vocari *Xām-tī* Supremum Imperatorem, & *Tiēn* Cœlum. Quartò. Prohibet affirmari id, quod Sinæ per duas illas ultimas voces intelligunt, eſſe Deum illum Optimum, Maximum, quem Chriſtiani colimus.

Quoàd duo prima puncta Mandatum videri poterat prorsùs inutile; nam per centum annos ante adventum Reverendiſſimi in Chinam excluſæ ſunt voces Europeæ à Dei Optimi, Maximi nuncupatione; vocatus eſt quoque Deus *Tiēn-Chū* Cœli Dominus à Societatis Miſſionariis imprimiſque à Patre Riccio Maceratenſi, Miſſionis fundatore.

Quoàd tertium, & quartum punctum de non appellando unquam Deo neque *Xũm tí* neque *Tiēn* apud Sinas, dubitare non poſſumus, quin videri illud debeat à Reverendiſſimo præſcriptum imprudenter, & periculosè.

OBSERVATIO I.

Deus in China compellandus eſt Sinicis vocibus.

HOc audemus affirmare, circà voces, quibus Noſtri compellarunt Deum in China, ea illos obſervaſſe, quæ conſtanter obſervarunt Apoſtoli, dum Romæ, & Imperio Romano Chriſtum prædicarent.

Nam Primò. Poſt longum, & accuratum examen decreverunt jam inde ab initio, non Europæis vocibus compellandum eſſe Deum in China, ſed, ut dictum eſt, Sinicis; in hoc imitati Apoſtolos, qui cùm Romæ Evangelium, annun-

ciarent Supremum Cœli Numen non Hæbraicis, ut Jehova, Adonai, vel Elohim, vocibus, ſed Latinis, nempè Deum compellarunt. Inter alias hæc ratio fuit, quòd ſicut Hæbraicæ voces apud Latinos, ita Latinæ apud Sinas nihil planè ſignificarent.

Secundò. Sicut Apoſtoli nòn unâ voce latinâ Deum, ſed pluribus, nempè Regem Regum, Dominum Dominantium, Deum exercituum in Imperio Romano vocabant, ita noſtri in China Miſſionarii non unâ voce Sinicâ *Tiēn-Chū*, Cœli Dominum, etſi longè frequentiùs aliis omnibus uſurpatâ, nuncuparunt, ſed pluribus, nempè *Xām-tí* ſupremum Imperatorem, *Tien* Cœlum, non quidem materiale illud, quod videmus, ſed inviſibile Cœlum, atque intelligens. Hujus Apoſtolorum, Noſtrorumque conſilii rationes in reſponſo generali Eminentiſſimis Patribus oblato fusè explicantur.

Tertiò. Licèt Latini, & Græci ple-

plerique omnes Apoſtolorum tempore per vocem *Deus*, aut Θεὸς, Idolum aliquod intelligerent, nempè vel Jovem, vel Martem, vel Apollinem, non ſunt propterea per varios metus, aut ſcrupulos deterriti Apoſtoli à Summo veròque Numine per eaſdem illas voces appellando: Ita Miſſionarii Sinenſes, etſi viderent voce *Tiēn-Chū* compellari apud Sinas multa Idola ab Idololatris, ſicuti vocibus *Xām-tī*, & *Tiēn* Cœlum materiale à multis Atheis inter Litteratos, non putarunt hanc eſſe ſufficientem cauſam pro non compellando Sinicis illis vocabulis Deo.

Quartò. Eò minùs ab hoc deterreri debuerunt Miſſionarii Sinenſes, quò majorem, & urgentiorem, quàm Apoſtoli habebant cauſam per voces *Xām-tī*, & *Tiēn* Deum noncupandi. Nam iiſdem Miſſionariis perſuaſum erat, antiquos Sinas per longam ſæculorum plurium ſeriem iis nominibus invocaſſe Deum vivum, ac verum, & ita hodie

hodie adhuc nuncupari ab omnibus illis, qui, rejecto Atheiſmo, veteres ſequuntur, Imperatoris iſtius exemplo. Iſta fusè, ſuo loco probata ſunt, maximè in appendice cum cæteris noſtris reſponſis Sacræ Congregationi oblatâ. Hanc autem cauſam verum Numen appellandi *Deum*, vel Θεὸς non habebant Apoſtoli; cum ex Annalibus Gentium conſtet non procul à diluvio inceepiſſe Idololatriam, Græcoſque deinceps, & Latinos ferè omnes infeciſſe. Quod non poteſt ſic affirmari de Sinis, apud quos certum videtur, non niſi poſt Chriſtum natum invectam eſſe Idololatriam.

Quintò. Sicut ergo Apoſtolorum tempore Infideles ipſi, qui Chriſtianos noverant, probè ſciebant per vocem, *Deus*, aut Θεὸς non intelligi ab illis neque Jovem, neque Martem, nec aliud iſtiuſmodi Idolum, ſed ſolum Terræ Cœlique Conditorem: ita hodie in China palàm ubique notum eſt, per voces ſive *Tiēn-Chū*, ſive *Xām-tī* ſive

Tiēn

Tiēn, non intelligi à Chriſtianis vel Idolum, vel materiale Cęlum, ſed unum Cęli materialis, Terræque Dominum vivum, ac verum.

Sextò. Etſi igitur per accidens contingere poſſit in China, ut vel Gentilis Idololatra, vel inter Litteratos Atheus nondùm de Evangelio inſtructi, cùm audiunt ſuum à Chriſtianis Numen nuncupari *Tiēn-Chū*, aut *Xām tī*, aut *Tiēn*, per errorem ſibi fingant, his vocibus vel Idolum aliquod ſuis ſimile ſignificari, vel Cęlum materiale, ſicut Apoſtolorum tempore; dum Paulus Athenis Chriſtum prædicaret, dictus eſt à Græcis nondùm inſtructis *novorum dæmoniorum annunciator*: Quia tamen Paganorum iſtiuſmodi errores, qui per accidens contingunt, nec vitari moraliter poſſunt, nec niſi per inſtructionem, & cum tempore paulatim deſtrui, nihil Apoſtolos moverunt, quin pergerent verum Numen apud Latinos *Deum*, apud Græcos Θεὸς nuncupare, ita nec debent prohi-

bere

bere in China, quin dicatur à Miſſionariis, ut plurimùm quidem, *Tiēn Chūn* juxtà uſum à Patre Riccio introductum, ſed etiam, cum opus eſt, *Xām-tī*, & *Tiēn*: declarando ubique palàm, ut fit continuò in concionibus, in colloquiis, ac libris ſcriptis, per iſtiuſmodi voces ſolùm à ſe intelligi Supremum Entium, verumque, ac vivum Cœlorum, ac Terræ Conditorem ac Dominum.

Septimò. Nihil ergo circà iſta exprobrari hodie poteſt Sinenſibus Miſſionariis, quod non potuiſſet exprobrari olim Apoſtolis, & quidem, ob allatam ſuprà rationem, potiori jure. Erant enim longè plures Romæ, & in toto Imperio, qui, cùm Deum colendum eſſe dicerent, vel Jovem intelligebant, vel Martem, quàm ſint in China, qui, cùm docent venerandum eſſe *Xam-tī*, & *Tiēn*, de Cęlo materiali id intelligant. Vult ergo Reverendiſſimus Maigrot Apoſtolis ipſis videri vel prudentior, vel ſcrupuloſior,

dum

dum ex tam vano prætextu, quem nempè flocci fecerunt Apoſtoli, prohibet in China Deum nuncupari vel *Xãm-tĩ*, vel *Tĩẽn*.

Octavò. Sed mirari nemo debet, quòd neque cum Apoſtolis, neque cum Miſſionariis Sinenſibus Reverendiſſimus ille conveniat; ſiquidem nec in eo ipſò ſecum poſſit convenire. Conſtat enim eſſe in variis Chinæ Provinciis plura quàm triginta Idola, quæ a Sinis Idololatris *Tĩẽn-Chũn* nuncupantur: Jubet tamen Reverendiſſimus in ſuo Mandato hanc à Chriſtianis vocem retineri ad ſignificandum Deum: ergo licèt inter Litteratos ſint Athei, qui vocibus *Xãm-ti* & *Tĩẽn* abutuntur ad ſignificandum Cœlum materiale contrà ſenſum veterum Sinarum, qui hanc illis ſignificationem nunquàm tribuerunt, quandò agebatur vel de cultu veri Numinis, vel de ejus invocatione, non ſunt propterea voces illæ duæ repellendæ ab ejùſdem veri Numinis nuncupatione: vel igitur omnes

illæ

illæ Sinicæ voces propter rationem iſtam omnibus communem ſunt rejiciendæ, ut volebat Longobardus contrà Reverendiſſimi Mandatum, quo vox *Tiēn-Chūm* retinetur, vel ſunt omnes admittendæ; ita tamen ut juxtà uſum à Patre Riccio, aliiſque Miſſionariis introductum. vox *Tiēn-Chū* frequentiùs uſurpetur.

Hic notandum primò, Sinenſes Jeſuitas non id exigere, ut in uſu ordinario voces *Xām-ti*, & *Tiēn* uſurpentur pro ſignificando Deo, Optimo, Maximo; ſed, ut infrà explicatur, uſurpari omninò tunc poſſint ſive in libris, ſive in colloquiis, ſive in concionibus, quandò neceſſe eſt hodiernos Sinas de exiſtentia Dei convincere ex antiquis ſuorum libris, in quibus compertum habent eos Deum agnoviſſe.

Secundò. Ità uſurpari has voces velle, ut, cum neceſſe eſt, aliæ ſubinde quoque adjungantur, majoris claritatis causà, & ad vitandum

dum omnis prorsùs æquivocationis periculum : Quod dicendum etiam erit de voce *Tiē-Chū* , qua utuntur Athei , & Idololatræ ad ſignificandum , hi quidem Idolum multiplex, iſti verò Cælum materiale . Ita P. Jacobus Favre antiquus Miſſionarius . Cap. 2. num. 12.

OBSERVATIO II.

Ita Deus , ut plurimum , Tiēn-Chū *eſt compellandus, ut poſſit quoque, cùm opus eſſet , ad Religionis bonum nuncupari* Xām-ti.

Quod ſpectat ad vocem *Xam-ti,* quæ dici poteſt reſpondere noſtris his vocibus , *Rex Regum* , *Dominus Dominantium* tam multæ ſunt , tamque graves cauſæ hujus apud Sinas non rejiciendæ , ut niſi aliter uſus , de quo mos , conſuetudoque ſtatuiſſent in gratiam vocis *Tiēn-chū* , vocem *Xām-tī* putaremus , præ cæteris eſſe uſurpandam , ad ſignificandum

Deum, Optimum, Maximum.

Prima ratio illa eſt, quòd præſtet, ut mox probatum eſt, multis vocibus Sinicis, quàm unà ſolà Deum compellare: ergo maximè utendum erit voce *Xãm tĩ*, *Supremus Imperator*. Conſequentia eſt apud omnes certa, & mox ex dicendis erit adhuc certior.

Secunda ratio illa eſt, quòd vox *Xãm-ti*, ſeu *Supremus Imperator*, ſit planè nobilis, ac nihil involvens imperfectum, ergo maximè convenit exprimendo Deo, quem ſacra etiam Scriptura vocat *Regem Regum*, & *Dominum Dominantium*.

Tertia ratio eſt, & hæc quidem immenſi ponderis, quòd antiqui Sinæ ſub hac voce *Xãm-tĩ* Deum verum, ac vivum noverint, & adoraverint.

Id pro certiſſimo habuit * P. Matthæus

* *In Confucio, ſive ſcientia Sinenſi latinè reddita à quatuor Patribus Societatis in Sina Miſſionariis, nempè Proſpero Intorcetta, Chriſtiano Herdtrich, Franciſco Rougemont, & Philippo Couplet.*

thæus Riccius Miſſionis fundator, poſt accuratum ea de re ſtudium: probant autem illud ea quæ ſequuntur.

Quia Primò *Fo-hi* Sinicæ Gentis fundator, diluvio ſanè proximus, dicitur (a) victimas inſtituiſſe ad eas Cæli Terræque Spiritui Supremo ritè immolandas.

Secundò. *Hoam-ti* tertius Imperator, ex Sinicis annalibus, Templum (b) ædificavit *Xām-ti*, hoc eſt, ſupremo Imperatori, fortaſsè totius Orbis primùm.

Tertiò Iidem Annales narrant Imperatorem *Tico*, tam ardenter cum ſua conjuge, oblatis Sacrificiis, (c) ſupplicaſſe *Xam-ti*, Supremo Imperatori pro obtinenda prole, ut filium habuerit, ex cujus ſtirpe orti ſunt quadraginta Imperatores.

Quartò. In libris *Xū Xīm* refertur, Regem ex familia *Xam* ſic

K ij lo-

(a) *In Proœmiali declaratione p.*124.
(b) *p.* 125. 126.
(c) *Ibidem.*

locutum eſſe. (d) *Regia Familia peccatis eſt involuta : Ego timeo Supremum Regem, non audeo illam non punire.*

Quintò. Sic habent libri Sinarum claſſici (e) *Supremum hoc Nomen* Xãm-ti *oportet me tueri, oportet me venerari, oportet illi ſervire, oportet ei ſubjacere, oportet ab illo ſupplicia deprecari, vitam corriggendo.*

Sextò. *In libro* Ly Ky *leguntur iſta* (f) *Precellens ille Rex Vèn Vân magna circumſpectione & humilitate, reverenter & ſubmiſsè gerebat ſeſe, dum obſequium præſtaret Supremo Numini* Xãm-ti.

Septimò. *Veteres Reges Sinarum adeò Numen hoc* Xãm-ti *venerati ſunt, ut ipſimet propriis manibus terram colerent, in qua Orizam pro ſacrificiis ei offerendis ſerebant, arboreſque plantabant, ex quibus poçula pro ſacrificiis conficiebantur.* (g) *Ita libri Sinici.*

Octa-

(d) Apolog.Brancati. pag.244.
(e) Ibidem. (f) Ibid. (g) Ibid.

Octavò: *In libro* Xu nim, (h) *Magnus* Xãm-ti *deſcendit in corda hominum, internè dirigens ſubjectos populos; cui ſi obſequentes fuerint, naturam obtinebunt conſtantem in bono.*

Nonò. *Ibidem. Numen* Xãm-ti *in ſua aula regnans auxilium toti orbi præſtat.*

Decimò. *Item. è Cælo auxilium præbetur ſubjectis populis, tribuens illis Reges, tribuens illis Magiſtros, ut poſſint veluti eſſe adjutores Numinis* Xãm-ti, *qui populos amat, vultque ut quietè ac tranquillè vivant.*

Undecimò *Rursùm* (i) *Supremum hoc Numen* Xãm-ti *dirigit homines ad virtutem placidè & quietè; ſed fuit familia Hia (id eſt Rex, qui vocabatur* Kiè *ex dicta familia Hia) qui noluit ſequi directionem hanc Numinis, propterea Supremum Numen tribulationes, &* ca-

(*h*) pag. 245. (*i*) Libro 3. ſcientiæ Sinicæ pag. 148. 149. ubi multa leges alia,

calamitates in illam immiſit, veluti clamans, & increpans (ut vitam in melius corrigeret;) ipſe autem renuit correctione Numinis uti, ſed totaliter vitiis immerſus, verba aliqua (mentiens tamen) pœnitentiæ proferebat: tunc verò Supremum Numen nequaquàm illum exaudivit, ſed antiquum illius Imperium deſtruens, magno illum ſupplicio affecit.

Duodecimò. Docebat Confucius (l) Virum probum debere tria timere, ſupremam Numinis Majeſtatem, ſeniorum hominum authoritatem, ſanctorum ſive proborum hominum verba. Innumera hujuſmodi reperies in libris Sinarum claſſicis teſtimonia, quibus clarè conſtat juxtà Sinas, ſaltem veteres, Numen illud, quod vocabant *Xām-tī*, ſummèque venerabantur, fuiſſe Ens intelligentia, ac voluntate præditum, ſua providentia homines dirigens, virtutem compenſans, vitium puniens, his demùm

(*l*) Ibidem pag. 119.

mùm inſtructum attributis, quæ Chriſtiani omnes agnoſcunt, & adorant in Deo, Optimo, Maximo.

His autem poſitis, ſic arguo. Antiqui ſaltem Sinæ per duo annorum millia verum, ac vivum Deum coluerunt ſub voce *Xã-tĩ*, quæ nihil aliundè dicit imperfectum: ergo licet, & expedit, ſeu potiùs neceſse eſt Deum in Sina *Xãm-ti* nuncupari à Miniſtris Evangelii. tantùm abeſt ut vox illa ſit ab illis repellenda.

Quarta ratio illa eſt, quòd nulla ſit repellendæ iſtius vocis cauſa legitima. Nam ſi quæ ſit, hæc maximè, quòd hodierni Sinenſes Litterati per vocem *Xam tĩ* intelligant tantùm, & colant Cælum illud palpabile quod videtur. Sed hæc ratio nulla eſt.

Quia, primò, etſi hoc daretur, non deberet proptereà excludi illa vox: Quamvis enim Apoſtolorum tempore inter Grecos, & Latinos per vocem, *Deus*, aut plerique

omnes Idolum aliquod & intelligerent, & colerent; non abſtinuerunt propterea Apoſtoli à ſignificando per hanc vocem Supremo Numine: ergo multò minus abſtinere debent à voce *Xãm-ti* Miſſionarii Sinenſes. Dixi multò minus: neque enim de antiquis Græcis, & Latinis dici poteſt, quod de Sinis, illos per duo & amplius annorum millia Deum verum, & vivum coluiſſe, & agnoviſſe: cum non procul à tempore diluvii in Belo: ſeu Membrod Idololatria inceperit, breviquè ſe extenderit longè lateque, per omnes (exceptâ ferè Sina) Orbis partes, & Provincias, omnium maximè apud Græcos, & Latinos.

Quia ſecundò ſi vox *Xãm-ti* excludi debet ex eo, quòd Litterati Cælum materiale per hanc vocem ſignificent, debet excludi quoque vox *Tiēn-chũ*, cum ſint multi apud Sinas Idololatræ, qui ſub illa voce plurima Idola venerantur: imò etiam

etiam fatetur Dominus Charmot * vocari cælum materiale *Tiēn-chū* à Litteratis. Sed vocem *Tiēn-chū* retinet Dominus Maigrot: ergo vocem *Xām-tī* rejicere non poteſt, nec debet.

Quia tertiò multi ſunt de facto inter Litteratos, primuſque omnium Imperator, qui per vocem *Xâm-tī* verum, & vivum Deum intelligigunt, ut antiqui Sinæ: ergò potiori jure ad illum ſignificandum adhibere hanc vocem poſſunt Chriſtiani.

Probatur antecedens. Quia primò *P. Joachimus Bouvet juratus teſtatur coram Deo, ſe toto ſex annorum ſpatio, quorum maximam partem impendit in exponendis Imperatori Sinarum Matheſeos, Philoſophiæque præceptis, nihil unquàm in hujus Principis aut geſtis, aut ſermonibus animadvertiſſe, quod in Atheiſmum tenderet, ut falsò, & imprudenter ſpargit R. Dominus Maigrot: contrà verò ipſum non ſemel,*

* Hiſt.cult.Sin.pag.134.

ſemel, ſed variis in occaſionibus notum ſibi, aliiſque Patribus feciſſe, unum à ſe Deum Cœli, terræque Dominum & agnoſci, & adorari, & hinc Supremæ Intelligentiæ, non Cœlo materiali ea offerri à ſe ſacrificia, quæ ſingulis annis in Templo Cœli ad colendam divinam Majeſtatem celebrat pro ſuo munere Pontificis Religionis totius Imperii. (m) Ità P. Bouvet, Ita alii divinæ Legis Miniſtri, qui PeKini habitant.

Quia ſecundò. Etſi jam in Sinis multæ ſint Sectæ Idola colentium, ex Litteratis multi quoque dici poſſint Athei, non ſequitur propterea, (n) inquit P. Brancati, doctus, & antiquus Miſſionarius, Litteratorum Sectam eſſe omninò abolitam, cùm hodiè in multis familiis integra perſeveret.

Quia tertiò. Licentiatus *Chũvi-*

(m) In Litteris ab eo recèns acceptis *Idem ſcribit P. le Conte.*

(n) pag. 200. Apol. *Lege P. le Favre. Brancat.p.*260.

vi-chim, vir doctiſſimus, in aureo libello, quem Chriſto initiatus compoſuit, bellè explicat in quo Litteratorum Schola cum Evangelica Lege conveniat. *Nomen illud,* inquit, *quod dicitur* Xām-ti, *id eſt Dominus, & Gubernator Univerſi, rerumque omnium. Hic autem Cœli Dominus Angelos jubet curare, ſive regere creatum mundum. Quodlibet igitur Cœlum ſuum habet Præſidem Spiritum, qui illum circumagit, quod ipſum eſt, quod profitetur Schola Litteratorum, quandò dicit, ſex nobiles Spiritus regere Solem, Lunam, Planetas, & conſtellationes; quodlibet Regnum, civitas quælibet, oppidum quodcumque, ſuum habet Angelum præſidem, & cuſtodem. Hoc ipſum confitetur Litteratorum ſchola, quandò dicit muros, terras, Montes, Flumina, Spiritus tutelares habere: qui omnia iſta cuſtodire non deſinunt. Quilibet homo, ſuum habet cuſtodem Angelum. Singulæ etiam ſpecies creatarum rerum Præſidem habent Spi-*

Spiritum , qui illas regit , & ne intereant curam agit . Hoc ipſum eſt , quod Schola Litteratorum ſub Nominibus Tiēn *&* Tie *veneratur, ſcilicet . Spiritus tutelares quinque ſpecierum frugum , ex quibus homines vitæ alimenta capiunt : in unius anni decurſu habentur preces, ſed preces ille diriguntur ad* Xām-ti . *In fine anni gratiæ aguntur pro acceptis beneficiis rerum omnium Conditori ; homines enim recipientes magna beneficia à* Xām-ti , *perenniter etiam à Spiritibus recipiunt directionis , & cuſtodiæ beneficia non pauca : ſed cum hi Spiritus mandatum accipiunt à* Xām-ti *dirigendi , & gubernandi inferioris mundi , & homines , & reliqua omnia creata entia , horum directionis , & cuſtodiæ beneficium , tribuendum , & referendum eſt ipſimet* Xā-ti . *Quantò magis , cum illorum gloria de ſe ſit undequaque perfecta (juxtà cujuſcumque exigentiam) quamvis magna conferant hominibus beneficia , nihil omninò ab homi-*

minibus ſperant, aut deſiderant. Solummodò poſtulant, ut homines cœleſtium corporum, fluminum item, montium pulchritudinem aſpicientes, plantarum quoque diverſimodam multitudinem producentium, cujuſcumque generis fructus; inde ſumant occaſionem vero Domino gratum animum offerendi, illique fideliter, & humiliter dignum obſequium præſtandi, & hoc pacto Angelorum animi gaudio afficiuntur haud levi. Huc uſque Licentiatus Chū-vi-Chim, *in citato libello.*

Quinta ratio illa eſt, quòd ſufficienter conſtat apud Sinas, per hanc vocem *Xām-ti* non intelligi Cœlum materiale à Chriſtianis, ſed Deum, Optimum, Maximum. Ergo quidquid ipſi ſentiant de ſe, non poterunt propterea de Chriſtianis malè ſentire. Conſequentia patet: ſic enim nullum eſt ſcandalum, nequidem acceptum, niſi valdè per accidens, ut in voce *Deus* poterat Apoſtolorum tempore contigere.

Probatur antecedens. Quia pri-

mò, quem audiunt à Chriſtianis *Xãm ti* nuncupari, & coli, hunc ab iiſdem ſæpiùs adhuc audiunt appellari *Tiẽn-Chũ*, ſeu Cœli Dominum ſupremum, & æternum Spiritum, Ens ſumme intelligens, Omnipotens, Sanctum, ac infinitè perfectum: ergo ſciunt hos materiale Cœlum non intelligere.

Quia ſecundò in plurimis Chriſtianorum libris, ſcriptis, elogiis, idem vident fusè explicatum.

Quia tertiò. In libris legunt, audiunt in colloquiis Chriſtianos aſſerere, & probare poſitivè non Cœlum materiale dignum eſſe veneratione, ac cultu, ſed Supremum Cœli, ac terræ Imperatorem, qui ſolus verus eſt *Xã-ti*, & vivus.

Quia quartò. Conſtat perſuaſum fuiſſe actenùs Chriſtianis, antiquos Slnas ſub nomine *Xãm ti* Deum vivum coluiſſe; ergo & qui idem tenent ex Sinis, & qui contrarium aſſerunt, utrique ſimul noverunt per hanc vocem Cœlum meteriale non intelligi à Chriſtianis.

Quia

Quia quintò. Diſputationes à Miſsionariis tum verbo, tum ſcripto inſtitutæ ad probandum contrà Atheos non fuiſſe cultum ab antiquis Sinis ſub nomine *Xãm-ti* Cœlum illud materiale, ſed omnipotentem Cœli Dominum, ac Imperatorem, demonſtrant ſaltem ipſiſmet Atheis, quis ſit ea de re Chriſtianorum ſenſus, quòdque ſub hac voce non adorent, niſi Deum vivum, ac verum.

Quia ſextò. Cum à centum annis jam annuncietur Chriſtus Sinis, ſintque per omnes Imperii Provincias diſperſi Miſſionarii, ac plures quàm trecentæ Eccleſiæ, vel oratoria ubique erecta, quæ vident, ac legunt Domino Cœli eſſe conſecrata. præter libros ea de re magno numero compoſitos, eſt in Sina tota notorium, non Cœlum hoc palpabile, ſed totius Cœli, rerumque omnium Conditorem, ac Regem adorari à Chriſtianis ſub nomine *Xãm ti.*

Quia ſeptimò ipſæ perſecutiones, quas

quas paſſi ſunt ab Infidelibus Chriſtiani, ſed maximè quæ contigit ante annos circiter 30. magis adhuc toti Imperio notificarunt, quem Chriſtiani colerent ut Deum. Miſſi ſunt enim Miſſionarii in exilium, in carcerem, in vincula, quòd Chriſtum pro humano genere affixum annunciarent Sinis colendum ut Deum. Nulla ergo videtur eſſe ne leviſſima quidem cauſa totam in Sinis Chriſtianitatem conturbandi; prohibendo authoritate publicâ vocem illam *Xãm-ti*, nulla inquàm, cauſa, quæ olim potiori jure non militaſſet Apoſtolorum tempore contrà vocem *Deus*, aut *Dominus exercituum*.

Sexta ratio illa eſt, quòd cùm P. Andreas Palmeiro ante annos 70. aliquod tale tentaſſet, reclamatùm ſit contrà vehementiſſimè, non ſolùm à melioribus inter Evangelii Miniſtros Theologis, ſed etiam à doctiſſimis Sinenſibus Chriſtianis, ut videri poteſt in Epiſtola P. Emmanuelis Diaz anno 1630. ſcripta ad R.P.

R. P. Vitelleſcum Societatis Jeſu Generalem.

Excitata fuerat quæſtio à P. Nicolao Longobardo, pio quidem, & zelantiſſimo Miſſionario, ſed in Theologia minùs aliis verſato; neq; in Societate Profeſſi gradum adepto; excitata, inquam, fuerat quæſtio de abolendis Sinicis vocibus *Xãm-tĩ*, *Tiēn chũ*, & aliis, ſubſtituendiſque in illarum locum Europæis, ad ſignificandum Summum Numen. Pro affirmativa contendebat magno ardore cum paucis aliis: repugnabant huic novitati longè plures, non minori zelo, ſed magis verſati in Theologia, quam Longobardus, pro Sinicis, contrà Europæas voces.

Tunc temporis venit in Sinas P. Andreas Palmiero, tanquàm Viſitator Vice-Provinciæ: adeòque in Sinicis Litteris parùm ipſe Doctus, auditis hinc & indè Patrum rationibus, putavit omnia conciliare ſe poſſe, utrique parti concedendo aliquid, aliquid negando: ſed neutri ſatisfecit. Præcepit enim contra Longobar-

dum Sinicas voces adhiberi, non Europæas ad ſignificandum Deum; ſed voluit ſolam adhiberi vocem *Tiēn-Chū*, quæ erat magis in uſu, vocem verò *Xām-tī* proſcripſit.

Fuit improbatum ferè ab omnibus judicium illud propter rationes hactenùs allatas, quarum multas habet in epiſtola mox indicata P. Diaz, qui poſt Patrem Palmerio Sinas quoque, juſſu Præpoſiti Generalis, viſitavit, vir tam doctus, quàm ſapiens.

Primum, inquit, affirmant Mandarini Chriſtiani, pluſquàm licitum eſſe Deum appellare voce Xām-ti, *cui Majores ſui tribuerunt intelligentiam*, &c. *Imò eos Interpretes irridere ſolent; qui vocem illam ad Cœlum, aut neſcio quam ſyderum vim, & influxus detorsêre. Ac Doctor Leo, qui libros doctiſſimos ad confirmandam fidem Chriſtianam, & propugnandam ſcripſit, non ſine indignatione arguebat eos ex noſtris Patribus, qui majorem haberent fidem horum Commentariorum*

riorum Authoribus, (modernis ſcilicet, atque ex infimo Litteratorum ordine) quàm claris textibus antiquiorum Scriptorum, atque etiam plurium recentiorum, qui docent ipſum Xãm-ti *in libris claſſicis haberi intelligentem, juſtum*, &c.

Iidem Mandarini vehementer mirantur à nobis jam de eo nomine dubitari, quod fuerit uſurpatum à primis noſtris Patribus Sinicæ litteraturæ longè peritioribus, quàm ſunt ii, qui nunc vivunt. Atque ille ipſe Doctor Leo, & Licentiatus Ignatius acriter in novæ iſtius doctrinæ auctores invecti ſunt. Doctor verò Paulus, quippe natura pronior ad benignitatem, Patres ipſos non accuſat, ſed ait tamen, iis perpenſis, quæ & antiqui Sinæ ſcripſerunt, & fides noſtra docet, Deum appellari poſſe Xãm-ti. *Atque ita tum ipſe, tum alii ſcriptis ſuis uſurpant vocem* Xãm-ti, *ſeu ſolam, ſeu junctam cum alia voce* Tien-chũ.

Prætereà Colaus Je, *qui Patres noſtros tanta benevolentia complexus eſt, & PeKini, quandiù eam adminiſtravit Provinciam, & deinde in ſua Provincia FoKienſi, cum audiſſet Patrem Julium Aleni fusè probantem, mundum hunc non eſſe caſu efformatum, ſed conditum à Creatore, & Rectore libero, intelligente, juſto,* &c. Nos *Sinæ*, inquit, *hunc quoque noveramus Auctorem, ac Rectorem Univerſi, atque eum* Xãm-ti *vocabamus; credebamus eum juſtum eſſe, ac intelligentem,* &c. *Sed nimirùm longè plura vos de illo cognoſcitis, quàm quæ nobis erant perſpecta. Nam, & illum facitis antiquiorem mundo, quod nobis planè erat ignotum, & Spiritum eſſe defenditis, de quo nos ambigebamus. Jam verò quoniam Lex veſtra, ut potè peregrina, æmulos habet, atque obtrectatores non paucos, plurimùm vos juvabit, ſi Univerſi Dominum, quem colitis* Xãm-ti, *quemadmodùm nos*

fa-

facimus, appellaveritis, atque ad ea attributa, quæ ipſi ſunt à noſtris Majoribus conceſſa, adjunxeritis ea, quæ ipſis ignota, vobis comperta ſunt; hoc enim ſi feceritis, dubium non eſt, quin & pauciores habeatis adverſarios, & libentiùs omnes ad vos audiendos accedant, & vobis credant faciliùs.

Hoc ipſum Patri Matthæo Riccio afferre ſolebant ii, quos amicos habebat, cùm ſuadebant, ut Deum vocaret Xãm-ti, *quia ſcilicet eo nomine Sinæ antiqui, quorum tanta etiamnùm eſt authoritas & exiſtimatio, ſic appellabant Ens, quod quidem in toto Univerſo cognoſcerent Optimum, atque ut ſupremum adorabant.*

Denique textus eos, quos adduxit P. Longobardus, ut probaret Deum appellari non poſſe Xãm-ti, *non modò Patres, qui contra ipſum ſentiunt: ſed etiam Mandarini Chriſtiani longè exponunt aliter, ipſiſque longè minorem tribuunt authoritatem. Addunt præterea*

nullum à ſe hactenùs inventum eſſe. Sinam inter eos qui nùnc vivunt, qui ex eo quòd Deum vocemus Xãm-ti, *devenerit in ullum errorem, vel in eam opinionem, ut crederet, diceretve Legem noſtram, unam atque eandem eſſe cum Secta Litteratorum Sinenſium: quod ille ſe ait à nullis adiviſſe. Hactenùs P. Diaz.*

Propter iſtas, & alias cauſas Romæ (o) auditas reſciſſum eſt, quod à P. Palmerio fuerat decretum contrà vocem *Xãm-tĩ*, quâ, ſicuti, & voce *Tiẽn-Chũ*, perrexerunt Deum, Optimum, Maximum nuncupare Sinæ Chriſtiani, quanquam hæc ultima fuerit ſemper magis in uſu.

Finitam à 70. annis hanc quæſtionem non modò hodie renovat Reverendiſſimus Dominus Maigrot, ſed etiam ulteriùs tot annorum ſpatio, & tam continuo uſu confirmatum nomen *Xãm-ti* iterùm prohibet, & interdicit.

Sanè ſi ante ſeptuaginta annos do-

(o) Bartoli lib. 4. pag. 898.

doctiores, & prudentiores, & ſine ulla comparatione plures jam licitum eſſe contendebant vocem illam *Xām-ti* adhiberi ad ſignificandum Deum, quantò magis poſt tot annos? Cum in hujuſmodi negotiis incommoda, ſi quæ initio occurrerunt, decurſu temporis per uſum & cenſuetudinem planè evaneſcant.

Videtur itaque omninò retinendus uſus vocis *Xām ti Supremum Imperatorem* ad exprimendum in Sina Deum, qualis fuit hactenùs, neque rarior, neque frequentior.

Si quis notas legat, aut diſpunctiones Domini Charmot, continuò advertet referri iterùm ab eo quæ ſunt in hac obſervatione refutata: non refutari, quæ ſint ibi ſtabilita. Ea verò quæ ſuperaddit vel ſunt contradictoria, vel falſa, vel nihil ad rem pertinent.

Contradictoria loquitur, dum comparat vocem *Tiēn-chū* voci *Xām-ti*, pro retinenda priori, & poſteriori repellenda. Sic enim ha-

bet Diſpunctor pag. 302. *Vox Tien-chū*, inquit, *apud ſolos Idololatras uſurpatur*. Pagina verò 134. *Eandem*, ait, *vocem Tien-chū aliquando adhibent Litterati ad ſignificandum Cœlum materiale*. Quomodò iſta conveniunt? Primum autem de ſolis Idololatris falſum eſſe confirmavit Reverendiſſimus à Leoniſſa; & poſtremùm de Litteratis verum: Imò teſtatur P. Favre non modò in Urbe *Tai-tum* Provinciæ *Xan hi*, ſed etiam PeKini in celebri monte *Xe Xi Xam*, Templum eſſe dedicatum Idolo *Tien-chū*, cum hoc titulo foribus præfixo, *Tien-chū miaò*. Unde nova hæc ratio exurgit pro voce *Xām-ti*.

Tam Idololatræ in China vocem *Tien-chū* uſurpant pro ſuis Idolis deſignandis, quàm Athæei Litterati pro ſignificando materiali Cœlo, & tamen vocem illam *Tien-chū* retinendam eſſe vult Dominus Maigrot; ergo potiori jure retinenda erit vox *Xām-ti*, quà inter Idololatras nemo abutitur, quamque

tam

tam antiqui Sinæ, quàm hodierni Litterati, qui Athei non ſunt, uſurparunt ad ſignificandum verum, ac ſupremnm Numen, licèt in alio ſenſu hanc ſumant Athei.

Præterea nemo eſt qui falſa proponat audaciùs tanquàm vera, quàm Dominus Charmot, vel ex leviſſimis conjecturis, ut fucum faciat imperitis. Senſit urgere argumentum pro non abolenda voce *Xām-ti* ductum ex antiqua fide veterum Sinarum, qui ſub hoc nomine verum, ac vivum Deum agnoverunt. Audivit aliundè Sectam Idololatram Sinas ingreſſam eſſe anno, ut creditur, Chriſti ſexageſimo quinto. Hoc ſufficit Domino Charmot ut pronunciet, veteres Sinas, quaſi ex condicto, tunc temporis veri Numinis cognitionem abjeciſſe.

Primò, inquit, (p) *quàm longiſſimè ſpatium illud temporis, quo antiqui Sinæ verum Deum agnoviſſe, & coluiſſe, dicuntur, extendas*

(*p*) Hiſt.cult.Sin. pag.132.

tendas , vix ultrà primum Æræ Chriſtianæ Sæculum producitur;quo tempore Secta Idololatrarum ex Indiis orta in Sinam ingreſſa eſt.

Quaſi-verò omnes Sinæ continuò facti ſint Idololatræ, vel ex Idololatrarum conſuetudine facti ſint ſtatim Athei? Dominatur adhuc hodie in toto Sinarum Imperio Litteratorum Secta, ſicque odit ſimul, & contemnit Sectas Idololatrarum, ac Magorum, ut ſi minùs illæ prævalerent, brevi eſſent abolendæ. Unde qui damna lugent per Idololatras, ac Magos in Chinam invecta, imprimiſque Atheiſmum, hæc fatentur non ſubitò, ſed paulatim contigiſſe, ut ipſe Dominus Charmot fateri cogitur, poſteà ſibi parùm conſtans. Hoc autem tantò veriùs eſt, quòd Atheiſmum abhorreant Idololatræ, ideòque indirectè tantùm illum invexerint, abolitâ paulatim ex multorum animis veri Numinis cognitione, per execrandum Idolorum cultum, & mutato deinceps in contemptum eodem

Idolorum cultu : Unde , abjectâ omni Religionis curâ , impietas , & Atheiſmus .

Non dubitet ergo Dominus Charmot ulteriùs extendere veri apud Sinas Numinis cultum ſub nomine *Xãm-tí* . Et verò jam liberalior , hunc , ſi placuerit , extendet ad decimum tertium Æræ Chriſtianæ ſæculum .

Id enim , inquit , (q) *ad quæſtionem , de qua agitur , nihil refert , cùm æque certum ſit uſurpari non debere vocem* Xãm-ti *ad ſignificandum Deum , ſive plura , ſive pauca ſæcula numerentur , ex quo deſiit in Sina hanc habere ſignificationem .*

Quàm malè pergat diſcurrere Dominus Charmot , non advertit ipſe procul dubio . Nam primò, quæ profert contrà vocem *Xãm-ti* longè plus militant contrà vocem *Tiēn-Chū*, quam retinet . Nam Idololatræ à mille & ſexcentis annis hanc adhibent ad ſignificanda ſua Idola,

(q) Hiſt. cult. Sin. pag. 132.

Idola, & habent etiamnùm Templa Idolo *Tiēn-Chū* palàm dedicata, & inſcripta. Imò & illâ utuntur etiam Litterati ad materiale Cœlum denotandum. Ergo ſi certum eſt, ut ait Dominus Charmot, uſurpari non debere vocem *Xām-tī* ad ſignificandum Deum, ſive plura, ſive pauca Sæcula numerentur, ex quo deſiit in Sina hanc habere ſignificationem, quantò minùs uſurpari debet vox *Tiēn-chū*?

Secundò. A bis mille annis & ampliùs Græci vocem Θεὸς, & Latini vocem Deus uſurpabant ad ſignificandum Jovem, Martem, & Apollinem; quandò Apoſtoli Græcis, ac Latinis verum Numen annunciarunt; neque tamen iſtud probuit, ne hanc vocem Deus, ſive Θεὸς adhiberent: ergo, ut alibi dictum eſt, vel eſt prudentior Apoſtolis Dominus Charmot, vel ſcrupuloſior.

Tertiò. Jam ſæpiùs negavimus Litteratos omnes eſſe Atheos, & addimus inter eos, qui dicuntur

in

in China Athei, paucos eſſe qui ſint poſitivè Athei, & negare audeant Summum aliquem Rectorem Univerſi.

Profecto, (r) inquit P. Jacobus Favre, inſignis Miſſionarius, & Theologus, *vix ullum offendas qui Summum aliquem Rectorem Univerſi planè, ac præfractè negare auſit. Unde de me profiteor ſexcentos inter Litteratos, quos allocutus ſum, nullum hujuſmodi vidiſſe, aut de quopiam alio Litterato compertum habuiſſe, præterquàm de protervo illo divinæ Legis inimico, ac præfractæ mentis nebulone, Yam-quam-Sien nominato.*

Undè fit, ut plerique illorum gaudeant, cùm vel à noſtris, vel etiam à ſuis Sinis, qui Chriſtiani facti ſunt, demonſtratur ex variis claſſicorum librorum textibus, ſuos Majores Supremum Numen agnoviſſe, & coluiſſe, ut idem P. Favre teſtatur.

Imò Reverendiſſimus à Leoniſſa fa-

(r) *Cap.* 1. *num.* 4.

ſatetur multos in China converſos fuiſſe, videndo in ſuis Libris antiquis fundamentum aſſertionis, quâ Miſſionarii Sinenſes affirmant, antiquos Chinæ Philoſophos vocibus *Tiēn*, & *Xam-tī* Deum intellexiſſe, quem nos Chriſtiani colimus. *Perche molti ſi convertirono in China col vedere ne' libri antichi il fondamento di tali aſſertioni.*

Itaque ſuam adhuc ſignificationem veri Numinis vox *Xām-tī* in China retinuit tum in omnibus veterum Philoſophorum libris, tum in mente, & ore Litteratorum, qui Athei non ſunt, ut nihil jam dicam de Chriſtianis, libriſque Miſſionariorum. Legendæ ſunt obſervationes.

OBSERVATIO III.

Deus compellari poteſt, & debet Tiēn *in China.*

RAtiones quæ pro voce *Tiēn* militant, tanti in hac cauſa ſunt

ſunt momenti, ut, abſque gravi Chriſtianorum Sinarum injuria, eas non poſſimus reticere.

Illud primum circa vocem (*Tiēn*) affirmare licet, dato ſemel, quòd non Europæas ſed Sinicas voces ad ſignificandum Deum adhibere oporteat, ut ipſemet Reverendiſſimus præſcribit, affirmare, inquam, licet in hoc conveniſſe non modò Societatis, ſed & aliorum quoque ſacrorum Ordinum Miſſionarios, ut pro nata occaſione Deum *Tiēn*, liberrimè nuncuparent. Id probare prætermitto authoritate eorum, qui ex ſacro Dominicanorum Ordine tam multi, tamque graves viri idem cum Miſſionariis noſtris ſenſerunt circà Sinenſium ritus. Hos appello ſolûm, quos Jeſuitis tam ſæpè opponit Reverendiſſimus, nempe R. P. Joannem Baptiſtam de Morales Dominicanum, & R. P. Antonium à Sancta Maria Franciſcanum.

Primus, is ipſe eſt, qui contrà Jeſuitas ex China Romam pervenit

anno

anno 1645. In libello poſt ſuum reditum Sinicè ſcripto de obſequio filiorum ergà parentes, ſic habet. *Tiēn ſive Cęlum aſſumpſit Confucium: ut eſſet ligneum crepitaculum ad homines jamdiu ex leges edocendos: ideò illum Legati munere fungentem miſit ad ſurdos excitandos, & cæcos axpergiſcendos; ac ſi eſſet Dei Præcurſor.* Ita ille, ubi patet vocari à Patre de Morales Deum, *Tiēn*, ſive *Cęlum* in libro typis edito apud Sinas, Confuciumque, quem Atheum fuiſſe affirmat Reverendiſſimus & Atheorum Principem, appellari ab eodem Patre, Dei Precurſorem, & miſſum à Deo ad ſurdos excitandos.

Alter, nempe P. Antonius à Sancta Maria in ipſo titulo ſui libri Sinice ſcripti, Deum vocat *Tiēn*: talis autem eſt titulus. *Conformitas ſectæ Çinenſium Litterariæ cum Lege Cęli*, ſive *Dei*. Librum illum proſcripſiſſet Reverendiſſimus vel ob ſolum hunc titulum, ſi fuiſſet à Jeſuita compoſitus: in pagina autem

tem 16. ſic legitur. *Cęlum, Tiēn, aſſumpſit Confucium, ad hoc ut eſset ligneum crepitaculum: hinc ſimul intelligitur Confucium præſidere doctrinæ, ejuſque promulgationi à ſuperioris Cęli mandato gubernari.* In paucis ergo lineis Deum, Optimum, Maximum bis *Tię̄n, Cęlum* appellavit, ex cujus mandato docet præſidere Confucium Doctrinæ.

Ad duplicem hanc authoritatem reſpondet Dominus Charmot, *duorum libellorum, unde hæc verba citantur, fidem eſſe penes obſervatorem. De his enim*, inquit, *hactenùs nihil auditum eſt.* Solutio facilis ad multa, ſi repudiari poſſint Libri illi, de quibus nihil audiit Dominus Charmot. Obſervationum Author appellavit P. Philippuccium Miſſionarium Sinenſem, à quo citatos reperit duos illos Libellos P. Joannis Baptiſtæ de Morales, & P. Antonii à Sancta Maria. Quin etiam interrogatus

ab Emin. Card. Caſanate Reverendiſſimus Dominus à Leoniſſa Franciſcanus circa Libellum P. Antonii pariter Franciſcani, ingenuè reſpondit ſe legiſſe hunc P. Antonii librum, & faſſus eſt ibi uſurpari ab eo vocem *Tién* pro Domino Cœli, nec non multa dici honorificè de Confucio. Ita in quæſitis Eminentiſſimi illius, puncto 21. Judicet ęquus Lector, qnam fidem mereantur iſtiuſmodi reſponſa Diſpunctoris.

Quod vero tam Jeſuitæ, quam alii Religioſi non modo ii, qui cum Jeſuitis ſentiunt, ſed & qui illis adverſantur, in id tamen ſimul conveniant, ut in Sina Deum, Optimum, Maximum liberrimè & ſine ullo ſcrupulo *Tién*, ſeu *Cęlum* palam & paſſim appellare non dubitent; manifeſtum eſt indicium multas eſſe & graves ſic vocandi in Sina Numinis rationes, ac proindè graviter erraſſe Reverendiſſimum hanc vocem damnando. Paucas hîc propono.

Prima

Prima ratio eſt, quòd Sacræ Scripturæ hanc vocem, *Cęlum*, paſſim quoque uſurpent pro Deo Cœli tam in veteri, quàm in novo Teſtamento. (*s*) *De Cęlo fortitudo eſt*: inquiebat Judas, Idem Judas. (*t*) *Nunc clamemus in Cęlum*, Jonatas item; (*u*) *Nunc ergo clamate in Cęlum, ut liberemini*. Ita verò Machabæorum tertius: (*x*) *E Cę'o iſta poſſideo*: In his & aliis hujuſmodi locis accipitur Cęlum pro Deo Cęli. Rursùm: *Baptiſmus Joannis*, (*y*) inquiebat Chriſtus ad Judæos, *unde erat? E Cęlo, an ex hominibus?* Hoc eſt, an ex Deo, an ex hominibus? Filius prodigus apud Lucam: (*z*) *peccavi in Cęlum*, hoc eſt in Deum Cœli. Item Joannes Baptiſta: (*a*) *non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de Cęlo*, hoc eſt à Deo.

Si toties in Scripturiș noſtris Cę-

(s) 1. Mach. 3. 19. (t) c. 4. 10, (u) c. 9. 46. (x) 2. Matth. 7. 11, (y) Matth. 21. 25. (z) Luc. 20. 2, (a) Ioan. 3. 27.

lum uſurpatur pro Deo Cœli,quid mirum, ſi in libris Sinarum claſſicis, & in Annalibus antiquæ gentis illius, hic modus loquendi eſt in uſu?

Secunda ratio illa eſt, quòd antiqui Sinæ reipſa frequenter adhibuerunt vocem illam *Tiēn* ad ſignificandum Deum Cœli, cui intelligentiam, Sapientiam, Providentiam, juſtitiam, & alia hujuſmodi Entis ſummè intelligentis, ac Dei propria attributa concedebant. Id cònſtare poteſt ex textibus quamplurimis, paucos ſeligo, brevitatis cauſa.

In libro *Xu Kim* (*b*)refertur teſtamentum Imperatoris ſecundi tertiæ familiæ, qui Chim Vam dicebatur. *Hic igitur Princeps*, inquit Author libri, *qui religiosè ſemper obſervaverat Supremi Regis Cęli*, Tiēn, *voluntatem, tandem annò ætatis ſuæ 50. Imperii autem 37.* (qui

(b) *In proœmiali declaratione Scientię Sinicæ pag. 79. ab Intorcetta, &c.*

(qui fuit ante Chriſtum 1077.) *menſe quarto, die* 16. *in morbum inciderat letalem; cùmque intelligeret ſe morti proximum; primogenitum ſuum hæredem ſceptri ſolemniter pro more declaraturus, convocavit Imperii Primates omnes, quos ſic affatus eſt. Morbi mei vis invaleſcit, jubente Cęlo. Vereor ne me incautum mors occupet. Quamvis autem etiamnùm rudis ſim & ignorans, non tamen me latet Cęli mandatum, non eſſe perpetuum, adeòque ſummè eſſe timendum. Cum timore igitur & reverentia veneratus illud ſum ſemper, & ei, qua potui ratione, ſum obſecutus. . . . . . Hoc modo potui amplificare familiæ hujus virtutes, quo & perfeci ut haberem propitium Cęli ipſius cor, neque accideret, ut hoc Imperium ulla ex ſui parte labefactaretur.*

In eodem Libro *Xu Kim*, Rex ex familia Hia; quia noluit virtutem ſequi, ſed irreverenter cum Spiritibus ſe geſſit, tyrannicè po-

pulos tractavit, ideò *Hoâm Tiēn*, id eſt magnum Cęlum noluit illi auxilia ferre.

Sunt innumeri hujuſmodi textus, in quibus antiqui Sinæ tribuunt *Xam-tī*, Summo Imperatori, ſeu *Tiēn* Cęlo providentiam, cognitionem, voluntatem, potentiam, juſtitiam, quę non poſſunt convenire, niſi vero, vivo, & intelligenti Numini.

Tertia Ratio eſt, quòd hæc loquendi ratio ſit communis apud omnes gentes, ſed apud Sinas omnium maximè uſitata: Sic nempe loquimur quotidie, *Roma Pelagium condemnavit*: *Aula ita juſſit*: *Curia hunc abſolvit*: *Si Cœlum fuerit mihi propicium*: *Confugiamus ad Cęlum*, *&c.* Non intelliguntur iſta de Roma materiali, ſed de Pontifice Romano; nec de Aula materiali, ſed de Rege, nec de materiali Curia, ſed de Præſide ac Judice; nec de Cœlo materiali, ſed de Cœli Deo ac Domino: quia Cœlum Deo ſedes eſt, ut

Roma Pontifici, Aula Regi, Curia Iudici. *Eſt autem* (inquit Philippus Couplet Sinenſis Miſſionarius, Romæ benè notus) *eſt*, inquit, *ab omni uſitatiſſimum in Sina præ aliis Nationibus, ut aſſiduò Palatium pro Rege, Urbem pro Urbis Præfecto, Curiam pro Magiſtratu, & pro Patre-familias Domum ipſam nominare conſueverint*. Unde non mirum, ſi Cęlum aut *Tiēn* pro Deo Cęli uſurpent.

Quarta ratio eſt, quòd in utroque lexico majore Sinico, ubi vocis *Tiēn* multiplex uſus atque acceptio exponitur; legimus reipſa per hanc vocem ſignificari Cęli Dominum ac Imperatorem. Sicut ergo, quæ vocibus illis, *Roma*, *Aula*, *Curia*, & aliis hujuſmodi tribuuntur, determinant ſenſum, quem habent, nempe an de Roma, Aula, & Curia materialibus intelligi illæ debeant, an verò de Romano Pontifice, Rege, & Præſide: ita quæ voci *Tiēn* adjunguntur, notificant an pro Cœlo materiali, an

pro inviſibili, ſeu Domino Cęli ſumi hæc debeat.

Cùm quis deſcribit amplitudinem Romæ, Templa, Palatia, fontes, ſtatuas, picturas, & alia ejuſmodi, quæ continet; nemo dubitat quin de Roma materiali is loquatur: cum autem ait, Romam proſcripſiſſe aliquas hæreſes, conſtituiſſe Decretum aliquod, Bullam aliquam promulgaſſe, non vult iſta intelligi de Roma materiali, ſed de Pontifice Romano, ſeu de Vicario Chriſti, atque Petri ſucceſſore Romæ ſedente. Pari modo ſi quis deſcripſerit pulchritudinem Cęli, ejuſque amplitudinem, dixeritque ſtellis ornari, continuo motu rotari, & circumvolvi, ſuaque celſitudine ſuperare omnia, manifeſtè indicat ſe de Cœlo materiali loqui: At ſi audiemus *Tiēn* ſeu *Cęlum* ſua ſapientia regere omnia, invigilare Imperiis, leges præſcribere hominibus, punire impios, compenſare probos, ſumma veneratione eſſe colendum, votis & precibus exoran-

randum, ſapienter intelligi hæc non poſſunt, niſi de Cœlo intelligente & inviſibili, hoc eſt de ſupremo Cęli Imperatore ac Domino. Atqui in libris Sinarum claſſicis vel editis ante Confucium, vel ab illo explicatis, continuò hæc naturæ ſolius intelligentis attributa *Tien*, ſeu *Cęlo* conceduntur, ut videre eſt in appendice Sacræ Congregationis oblata: Non mirum ergo, ſi Miſſionarii Sinenſes, ac Chriſtiani hunc loquendi modum religiosè putant eſſe retinendum & uſurpandum. Illam igitur Chriſtianitatem immeritò perturbat, graviterque ſcandalizat ſuo hoc mandato vocem iſtam *Tien* proſcribente Reverendiſſimus Dominus Maigrot.

At, inquit, Athei, qui ſunt in China frequenter, per vocem *Tien* ſolùm intelligunt materiale Cęlum, non autem inviſibilem Cęli Dominum, quem ſcilicet non agnoſcunt, ut pote Athei, ergo nec Miſſionarii, nec Chriſtiani in Sina adhibere illam vocem debent, ad ſignificandum Deum.

Verùm non advertit Reverendiſſimus iſto diſcurrendi modo graviter impeti à ſe Apoſtolos: nam Apoſtolorum tempore plures erant Romæ, & Imperio Romano Idololatræ, quàm ſint in China Athei, qui per vocem, *Deus*, non intelligebant niſi Jovem, vel Neptunum, vel iſtiuſmodi aliud Idolum: ergo juxtà Reverendiſſimi diſcurſum, neque Apoſtoli, neque Chriſtiani tunc debebant adhibere vocem *Deus*, ad ſignificandum verum Numen, omniumque Entium ſupremum: hanc conſequentiam Apoſtoli tunc contempſerunt: illam ergo non debent nunc Miſſionarii Sinenſes admittere.

Prætereà non advertit Reverendiſſimus ſeipſum à ſe graviter impeti: nam ſunt hodie in variis Chinæ Provinciis plura quàm triginta Idola, quæ ab Sinis Idololatris *Tiēn-chū* appellantur; ſub illaque voce coluntur: imò ex R. Domino à Leoniſſa Litterati hanc quoque adhibent ad ſignificandum

Cęlum materiale. Ergo juxtà Reverendiſſimum nec Miſſionarii, nec Chriſtiani in China debent adhibere vocem *Tien-chū* ad ſignificandum Deum: præcipit tamen idem Reverendiſſimus ad hoc, adhiberi hanc à Chriſtianis vocem *Tiēn-chū*: ergo juxtà ſeipſum, vel id non præcipit ſapienter, vel falsò ratiocinatur. Sic itaque pergit ſibi ipſi contradicere.

Et verò tam falſus eſt reipſa hic Reverendiſſimi diſcurſus, ut ex principio, quod ſupponit, ſequatur omninò oppoſitum ejus, quod inde colligit, naſcaturque palmaris ratio pro voce *Tiēn* apud Sinas retinenda ad ſignificandum Deum. Sit ergo.

Quinta ratio. Contrà Atheos, qui ſunt in China plurimi, diſputant non modò Sinæ Chriſtiani, ſed etiam Sinæ Litterati non Athei, inter quos primnm obtinet locum Imperator, quidquid contra illum Sanctæ Sedi Reverendiſſimus Dominus Maigrot imprudentiſſimè

ſcri-

ſcripſerit. Sicut autem urgemus hæreticos authoritate Patrum, quos probamus nobiſcum ſenſiſſe, ita Sinæ urgent Atheos authoritate Majorum ſuorum, qui ſub vocibus *Xãm-tí* & *Tiēn* per duo & ampliùs annorum millia ſupremum ſe Numen agnoſcere, ac colere profeſſi ſunt, non Cęlum materiale.

Quia primò, huic Numini, ut dictum eſt, tribuerunt ſummam intelligentiam, ſapientiam, providentiam, juſtitiam ſive in bonis compenſandis, ſive in puniendis improbis: hæc autem non poſſunt, niſi ſtultè; affirmari de Cęlo materiali, cui nihil horum convenit.

Quia ſecundo. Huic *Xãm-tí* ſeu *Tiēn* ſtatis temporibus obtulerunt ſacrificia, illum invocaverunt &c. patet verò Cęlum materiale nullo prorsùs cultu dignum eſſe, ſtultè invocari & fruſtrà, cum nihil audiat, nec intelligat. Duo tamen iſta manifeſtè conſtant ex antiquiſſimis & claſſicis Sinarum libris, unde innumeri Sinæ doctiſſimi ex-

tu-

tulere laudibus mirabilem illum Patris Matthæi Riccii librum contra Atheos ſcriptum, ubi primùm Sinicis typis editus prodiit, adeò ut duo tomi extent elogiorum, quibus docti Sinæ etiam Infideles librum illum, & alios à Patre Julio Aleni, cæteriſque hoc de argumento compoſitos commendarunt.

Quid ad hæc reſpondent Athei in China hodierni? Quod nobis quotidie hæretici, nempe ſuos Majores idem ſecum omninò ſenſiſſe de *Xãm-tí* & *Tiēn*, ideòque non eſſe explicandos ad litteram textus, quibus videntur Deum agnoviſſe, ſed allegoricè tantùm & per figuram dictos, & intelligendos: cultum autem, qui eſt exhibitus Cælo ab antiquis, ut & exhibetur adhuc ab hodiernis Atheis, eſſe politicum ac merè exteriorem, ad populos Religionis opinione continendos: hanc Religionis ſimulationem egregiè confutant tam Chriſtiani, quam Infideles Sinæ non Athei.

Quid

Quid facit Reverendiſſimus Dominus Maigrot, dum ſuo mandato prohibet Deum à Chriſtianis vocari in China *Tiēn*, & *Xām-ti*? Cauſam adjudicat hodiernis Atheis: eoſdem non in China ſolùm, ſed etiam in Europa, quanquam præter intentionem, in atheiſmo confirmat, enervato prorsùs argumento, quod ex communi Nationum omnium ſenſu Numen aliquod venerantium dictum eſt non à Chriſtianis tantùm, ſed & ab Ethnicis. Quantum enim nunc triumphabunt Athei, ſi Chriſtianis ipſis fatentibus, teſte Vicario Apoſtolico, gloriari poſſint in tam antiquo, tam erudito, tot legibus, & tam benè conſtituto Imperio, omnes per tot annorum millia vixiſſe Atheos, & Atheos obiiſſe? Magnam infert prætereà ſine cauſa ſufficienti injuriam omnibus antiquis Sinis; Evangelii Miniſtris eripit arma, quibus contrà Atheorum inſaniam fortiter hactenùs in Sinà pugnarunt & feliciter: abalie-

nat

nat à nobis ſine ulla utilitate, & ratione Litteratos quamplurimos benè de hoc primo principio ſentientes, maximèque Imperatorem, ut infrà dicetur, illiſque locis ferè tantùm nocet rei Chriſtianæ, quantùm hic rei Catholicæ, qui docent antiquos Patres, Auguſtinumque inprimis, idem cum Novatoribus ſentire de gratia, & libero arbitrio.

Videtur ergo non utile modo, ſed neceſſarium quoque eſſe ad Religionis Chriſtianæ incrementum, ad confuſionem, & converſionem Atheorum, ad corroborandam Neophytorum fidem, ut Chriſtiani, qui Deum in China *Tiēn chū*, ut plurimum, nuncupant, juxta uſum veterem à Miſſionariis inductum, palàm quoque ac publicè occaſione data peragant ibidem *Tiēn* nuncupare, probareque contra Atheos *Tiēn* Antiquorum, & noſtrum *Tiēn chū* eſſe prorsùs eundem Cæli, terræque Dominum & Imperatorem.

Sexta

Sexta ratio illa eſt , quod non appareat ulla cauſa urgens , ulla neceſſitas, ulla utilitas conficiendi, quoàd iſta duo puncta , iſtius Decreti ; ergo cùm tot ſint & tam graves illius non promulgandi, debebat prorsùs omitti .

Antecedens probatur rejectione cauſarum , quas Dominus Maigrot, vel Dominus Charmot afferunt pro vocibus illis *Xām-ti* , & *Tiēn* abolendis.

Dicunt enim primo . Athei in Sina Litterati per illas voces Cœlum materiale intelligunt , & colunt : ergo Chriſtiani non debent his vocibus uti ad ſignificandum Deum.

Reſpondeo primò retorquendo argumentum, et priùs . Sinæ Idololatræ quamplurimi per vocem *Tiēn-chu* varia Idola colunt , & intelligunt : ergo rejicienda quoque eſt vox *Tiēn-chū* : ſed Dominus Maigrot, non obſtante hoc ſcandalo , vel incommodo , hanc retinet: ergo vel injuſtè eam retinet , vel

injuſtè alias repellit, maximè cùm præſtet multis vocibus Sinicis, quàm unà, Deum nuncupare, ut probatum eſt, Ergo vel ſunt omnes Sinicæ voces prohibendæ, ut volebat P. Longobardus, vel tres illæ ſunt admittendæ juxtà uſum hactenùs receptum. Sed Dominus Maigrot ſententiam tulit pro Sinicis vocibus contrà Europæas: ergo tres illas debet admittere.

Reſpondetur ſecundò. Latini, & Græci Idololatræ ſub hac voce *Deus*, vel Θεὸς colebant Jovem, Martem, & alia Idola; eam tamen vocem Sancti Apoſtoli adhibuerunt pro ſignificando ſupremo Numine: Ergo Dominus Maigrot vel eſt prudentior, vel ſcrupuloſior Sanctis Apoſtolis; non prudentior: ergo ſcrupuloſior, ergo intendit Romam terrêre ſcrupulis, quos ut leves & vanos contempſerunt Apoſtoli.

Reſpondetur tertiò. Diſtinguendo antecedens. Athei in Sinà Litterati per voces *Xãm-ti*, & *Tiēn*

 in-

intelligunt Cælum palbabile, & viſibile; & ſimul notum eſt per eaſdem voces intelligi à Chriſtianis ſicut ab antiquis Sinis, & à Literatis non Atheis modernis inviſibilem Cœli Dominum & Imperatorem, concedo; & hoc notorium non eſt in tota Sina, nego. Ut igitur olim, etſi Pagani per vocem *Deus* ſuum Jovem intelligerent, facilè tamen poterant, ſi vellent, noſſe per eandem vocem intelligi à Chriſtianis Conditorem Cæli, & terræ, ideòque nullum eſſe ex hac parte poterat ſcandalum ſaltem datum: ita & hodie in Sinenſi Imperio.

Dicunt ſecundò. Antiqui Sinæ erant omnes Athei, ſicut hodierni: ergo tam antiqui quàm moderni per voces *Xãm-ti* & *Tiēn* Cœlum palpabile intelligunt.

Reſpondeo primò. Falſiſſimum eſſe antecedens de antiquis Sinis; conſtat enim ex innumeris, & clariſſimis librorum illius gentis claſſicorum textibus cognoviſſe eos ſu-

ſupremi Numinis Providentiam, intelligentiam, juſtitiam, authoritatem, & alia attributa, quæ naturæ tantùm intelligenti convenire poſſunt, non Cœlo materiali: aliquos habes ſuprà citatos.

Reſpondetur ſecundò. Qui ita ſentiunt, injuriam facere Antiquis Sinis, nec ſatis conſulere primæ veritati contra Atheorum inſaniam.

Reſpondeo tertiò. Falſum eſſe quoque antecedens de Sinis hodiernis: ſunt enim inter Litteratos plurimi, quibus perſuaſum non modo eſt Deum exiſtere Cœli, ac terræ Dominum; ſed ita quoque ſenſiſſe antiquos Sinas, ut dictum eſt ſuperiùs, & probavit P. Riccius.

Dicunt tertiò. Meliùs ſciri à Commentatoribus Sinicis, quid antiqui Sinæ per vocem *Xãm-ti*, & *Tiën* intellexerint, quàm à Patre Riccio & aliis Europæis: ſed juxtà Commentatores Cœlum palpabile tantùm hi intelligebant. Ergo, &c. Probant majorem. Adſint in Euro-

pa Sinæ, qui litteras noſtras edocti commentari velint, & explicare ſacros Scripturæ codices: ſi non conveniant cum noſtris Interpretibus, nemo eſt, qui poſſit prudenter majorem externis illis adhiberi fidem, quàm noſtris, præſertim in negotio Religionis: ergo minùs quoque credendum eſt Patri Riccio, cæteriſque Europæis, quàm ipſiſmet Sinis librorum ſuorum Interpretibus.

Reſpondeo primò. Nego majorem: ad probationem nego conſequentiam, & dico P. Riccium, Chriſtianoſque Theologos Sinicis litteris excultos potuiſſe meliùs aſſequi, quid ſenſerint de exiſtentia Dei antiqui Sinæ, quam modernos Commentatores. Quod ut clarum fiat, notanda ſunt, quæ ſequuntur.

Conſtat primò. Libros (c) Sinarum claſſicos, de quibus agitur, ſcriptos eſſe ante duo, & tria annorum millia, & ampliùs. Confucius

(c) *In proœmio ſcintiæ Sinicæ parag.* 11. *pag.* 110.

fucius enim natus eſt anno ante Chriſtum circiter 551. Declaravit autem ille doctrinam, quam tradebat, non eſſe ſuam, ſed priſcorum, imprimiſque *Yao*, & *Xum*, Regum, & Legislatorum, qui ipſum mille quingentis eòque ampliùs annis anteceſſerant.

Conſtat ſecundò. Confucium ergo ipſum, atque Mencium haberi poſſe, & debere primorum librorum Interpretes.

Conſtat tertiò. *Cemciū*, & *Cuſu*, alioſque Confucii diſcipulos, qui ejus libros interpretati ſunt ante 1800. annos, dicendos eſſe quoque Commentatores antiquos.

Conſtat quartò. Interpretes, quos appellamus modernos, extitiſſe tantùm 1600. annos poſt Confucium, hoc eſt, ante 400. aut 500. annos circiter; poſtque invectam in Sinas Idololatriam, & errorum, fabularumque à mille & ampliùs annis colluviem.

Conſtat quintò. Non eſſe rejectos à P. Riccio, cæteriſque Theo-

logis antiquos claſſicorum librorum Interpretes, ut Confucium, Mencium, eorumque diſcipulos: ſed novos tantùm Commentatores, quibus anteponi debere Riccium contendimus, aliosque Theologos Sinenſibus litteris excultos, quoàd ea inprimis, quæ antiqui Sinæ docuerunt de exiſtentia, & cultu divini Numinis.

Quia primò. Riccius, aliique Theologi Chriſtiani divina fide instructi in iis, quæ ad Deum ſpectant, præferri univerſim debent modernis Interpretibus Sinis, quos Atheos volunt eſſe R. Dominus Maigrot, & D. Charmot.

Quia ſecundò. Theologi illi non modò fide credunt Deum exiſtere, ſed & multiplici ratione probant, ut Philoſophi. Imò ſciunt ſummum illud Numen non ſe reliquiſſe ſine teſtimonio; & à Paulo didicerunt, non tam defuiſſe notitiam Dei Gentibus, quàm voluntatem Deo ſerviendi. *Quia* (d) in-

(*d*) Ad Rom. cap. 1.

inquit Apoſtolus, *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles; Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.*

Quia tertiò. *(e)* Theologi iidem Sinenſibus litteris præclarè inſtructi certò ſciunt ex Sinarum Annalibus, Imperium illud per duo annorum millia & ampliùs perſtitiſſe ſine Idolis, quæ deplorant iidem Annales illuc ex Indiis fuiſſe advecta

(e) *Vide Paragraphos* 5. 6. 7. &c. *Proemii ſcientiæ Sinicæ.*

ſub Imperatore *Minti*, Anno Chriſti 65.

Quia Quartò. Ex iiſdem Annalibus certò colligunt Sinenſis Imperii Fundatorem, non procul à diluvio vixiſſe, & quidem Noemo adhuc vivente.

Quia Quintò. Fide norunt Patriarcham illum fuiſſe ſanctum; ideòque nec dubitant, quin veri Dei notitiam, cultum, cæteraque eò ſpectantia, tam exemplo, quàm verbo, tam Filiis tradiderit, quàm Nepotibus. Unde Lactantius. *Errant*, inquit, *qui Deorum cultus ab exordio rerum fuiſſe contendunt, & priorem eſſe Gentilitatem, quàm Dei Religionem*. & alibi. *Regnante*, inquit, *Saturno, nondùm Deorum cultibus inſtitutis, nec adhuc ulla gente ad divinitatis opinionem conſecrata, Deus utique colebatur.*

Quia ſextò. Inde colligunt Noemi ſanctiſſimi Nepotes alios aliis diutiùs in veri Dei notitia perſeveràſſe, antequàm Idola ſibi confingerent.

Quia ſeptimò. Notarunt ex Annalibus per duo annorum millia, & ampliùs Sinas habuiſſe parùm, commercii cum aliis Nationibus.

Hæc P. Riccius, aliique Theologi Chriſtiani cùm haberent explorata, dubitare non potuerunt legendo Sinarum Annales, libroſque eorum claſſicos, & antiquos Interpretes, quin veteres Sinæ per duo annorum millia perſeveraverint in cognitione Dei, quem *Xãm-ti*, hoc eſt, ſupremum Imperatorem vocabant, aut figura apud illos uſitatiſſima, *Tièn* Cœlum, hoc eſt, Cęli Dominum.

Et verò, ut innumera alia, omittam, in parte decima libri tertii ſcientiæ Sinicæ à Confucio collecti hæc legebant, legimuſque etiam hodie.

Ego timeo ſupremum Cœli Imperatorem.

Duntaxat Cęlum creat populum, cum paſſionibus ſuis.

(f) Duntaxat Cœlum creat ingenii talenta.

(f) Pag. 149.

Cęlum equidem impertitur Regibus fortitudinem & prudentiam.

Supremus Cęli Imperator dum dirigit homines placidè & quietè, non facit hoc per receptionem alicujus corporeæ vocis, ſed cor hominis recipit quietam illam, placidamque directionem, adeòque ferventer, & ſine interruptione operatur. Sunt alia ſine numero. In iiſdem libris legunt, ſolum Imperatorem offerre debere ſacrificia Supremo Spiritui, ſeu Imperatori; inferiores Magiſtratus offerre Spiritibus inferioribus, qui præſunt montibus, &c. Vide ſuperiùs dicta.

Qui hæc ponderabit, nullam fidem adhibendam eſſe judicabit modernis Interpretibus, qui poſt mille & ducentos annos ab introducta in Sina Idololatria, ac proindè jam valdè obſcurata Dei cognitione, per allegorias, violentaſque explicationes claros aliundè de Divinitate textus ſic explicant, ut licèt illorum nemo Atheiſmum poſitivè profiteatur, in illum tamen

ſatis

ſatis propendere, & alios inducere videantur.

Porrò non ſolus Riccius, Alenus, Vagnonus, aliique deinceps ex Societate Miſſionarii, libris editis, Interpretes illos confutarunt, exagitaruntque, ſed multi etiam Sinenſes eruditi tam Gentiles, quàm Chriſtiani.

Notus (g) eſt in ea re zelus graviſſimorum Doctorum Pauli, Leonis, Michaelis, Petri, Philippi, Ignatii, Thomæ, Matthæi, aliorumque. Vide citatam ſuprà Epiſtolam P. Emanuelis Diaz. Hi Chriſto quidem nomen dederant.

Verùm Ye Colaus, quamvis Ethnicus, aliique multi litteris & dignitate præſtantes viri, tot elogiis libros Riccii, aliorumque decorarunt, ut ad maximam nominis Chriſtiani commendationem, & Atheopoliticorum confuſionem, duo volumina edita ſint, quibus ſolæ Panegyres Procemiales à Colais, vi-

(g) *In Procemio Scientiæ Sinicæ pag.* 109.

viriſque Primatibus, noſtrorum libris præfixæ, ſimul collectæ continentur.

Falſum ergo eſſe ſatis conſtat ex dictis, quòd plus credendum ſit modernis Interpretibus, utique, ut volunt Domini Maigrot, Charmotque, Atheis circà notitiam, quam de Deo habuerunt antiqui Sinæ, quàm claſſicis Sinarum libris, antiquis eorum Commentatoribus, Theologiſque Europæis, qui præter Sinicas litteras, quibus exculti ſunt, tot habent alia adjumenta ex fide, Scripturis, Theologia, Philoſophia, aliarum gentium cognitione, ad verum à falſo in hac materia diſtinguendum.

Reſpondeo (*h*)ſecundò. Ridiculum videri planè hunc diſcurſum. Sinæ Athei, etſi linguas Europæas callerent, minùs eſſent idonei ad explicandas antiqui, novique Teſtamenti de Deo, Chriſtoque Scripturas, quàm Theologi Chriſtiani, qui

(*h*) *Lege parag.* 11. *Prœmii Scientiæ Sinicæ pag.* 100.

qui in his interpretandis toto vitæ tempore deſudarunt. Ergo iidem Theologi Chriſtiani in linguis Sinicis benè verſati, iiſque aliundè, quæ mox retulimus, tam multis, tamque magnis divinæ fidei, ſacræque hiſtoriæ adjumentis inſtructi non poſſunt meliùs, & certiùs explicare claros, & innumeros de exiſtentia Dei claſſicorum in Sina librorum textus ante Idololatriam ſcriptos, quàm moderni Interpretes, & Athei, qui nonniſi poſt mille & ducentos ab invecta Idololatria annos, poſtque obſcuratam innumeris erroribus Dei notitiam ſuos commentarios ſcripſerunt. Manifeſtam hujus argumenti levitatem, etſi non viderent Sinæ Athei, mirum eſt omninò non eſſe detectam à Doctore Chriſtiano. Præſertim cùm eam clarè deprehenderint Sinæ eruditi quàmplurimi, ut dictum eſt, non modò Chriſtiani, ſed etiam Ethnici, qui ſæpè conteſtati ſunt claſſicos Sinarum à ſe libros jam meliùs intelligi, ex quo audierunt Europæos Interpretes. Di-

Dicunt quartò. Domini Maigrot, & Charmot Imperatorem, & Litteratos in templo Cęli ſacrificare aliquoties in anno, & in Templo terræ.

Reſpondeo primò. In illis Templis ſacrificari ab Imperatore Domino Cęli & Terræ, non verò Cęlo materiali, ſicut nec terrenæ maſſæ.

Reſpondeo ſecundò. Ex eo quòd Templum Cœli unum vocetur, & alterum Terræ Templum, concludi non debere, quòd ſacrificium offeratur Cęlo, & Terræ. Sic etiam apud nos Templum D. Petri dicitur, Templum B. Virginis; neque tamen B. Virgini, neque D. Petro in iſtiuſmodi Templis ſacrificium offertur, ſed ſoli Deo immortali.

Reſpondeo tertiò. Non accuſari à D. Maigrot Sinenſes Litteratos, quòd terram adorent, ſed Cęlum materiale; & tamen in Templo terræ ſacrificia offerunt: ergo neque Templum Cęli erectum eſt, ut Cęlo, ſed ut Cęli Domino ſacri-

crificetur. *(i)* ergo qui aliter id præſtant, ab inſtituto Majorum deflexêre. De cætero, Litterati Sinæ magno numero antiquorum veſtigiis inhærent, Deumque adorant, ut ſatis probant elogia, quæ libris Patris Riccii, & aliorum apponi voluerunt à ſe compoſita.

Dicunt quintò. Iidem Authores. Hodierni Sinenſes Athei contendunt in ſua opinione fuiſſe omninò Confucium, & antiquos: ergo reipſa fuerunt.

Reſpondeo primò. Nego conſequentiam. Omnes Hæretici contendunt antiquos Patres, atque ipſos Apoſtolos idem ſecum ſenſiſſe: inferri propterea non debet quòd res ita ſe habeat.

Reſpondeo ſecundò. Diſtinguendo antecedens; contendunt & hoc falſum eſt, concedo: & hoc verum eſt, nego.

Reſpondeo tertiò. Chriſtiani Sinenſes doctiſſimi, multique alii, etiam Gentiles, contendunt ardentiſſimè agnitum fuiſſe & adoratum

ab

ab antiquis Sinis verum Deum ſub nomine *Xâm-tī*, & *Tiēn*, probantque innumeris & clariſſimis textibus. Id confirmant in litteris Sinicis, ſtudiiſque Theologicis multùm verſati divinæ Legis Miniſtri. Ergo immeritò Confucius, & antiqui Sinæ accuſantur Atheiſmi.

Reſpondeo quartò. Probari à viris doctis modernos etiam Interpretes, etſi vim faciant antiquorum textibus; viamque parare videantur Atheiſmo, Atheiſmum tamen poſitivè non docere & formaliter, ſed materialiter tantùm & negativè, quatenùs quæ clara ſunt in antiquis de Deo, Deique providentia, & adminiſtratione, ea in ſenſus allegoricos convertunt.

Dominus Maigrot prohibet ne quis affirmet id quod Sinæ præfatis nominibus *Tiē* & *Xām-tī* intelligunt, Deum eſſe quem Chriſtiani colimus.

Nemo affirmat de Sinis Idololatris, nemo de Sinis Atheis, affirmatur jure merito de Sinis Antiquis;

quis; & de Sinis Litteratis non Atheis.

Cur itaque Reverendiſſimus Dominus Maigrot hanc in ſuo mandato vocem proſcripſit? Non videmus legitimam ullam hujus rei cauſam. Unum ſcimus, hanc vocis *Tiēn* proſcriptionem fuiſſe neceſſariam ad tabellas, quibus *Xīng-Tiēn* inſcriptum eſt Idololatriæ damnandas, traducendoſque Jeſuitas, vel tanquàm Idololatras, vel tanquàm Idololatriæ fautores. Sed quàm immeritò jam conſtat, moxque, ut ſperamus, cõſtabit adhuc clariùs,

OBSERVATIONES IN SECUNDUM CAPUT MANDATI MAIGROTIANI

De Tabellis Xing Tiēn.

Cœlum, hoc eſt, Cœli Dominum colito.

Secundum Mandati Caput ſic habet. *Diſtrictè prohibemus, ut in ulla Eccleſia, Tabella quædam, cui hæ duæ litteræ,* Cœlum colito, Xing Tiēn *inſcriptæ ſunt, appendatur; & ubicunque appenſa fuerit, intrà duos menſes auferri mandamus* . . . .

OBSTUPUIMUS non ſemel, & exhorruimus, cùm, occaſione Mandati Reverendiſſimi Domini Maigrot, & Domini Charmot, Romæ ſparſum audivimus, expoſitas eſſe à Jeſuitis Sinenſibus in ſuis Templis tabulas, quæ *ſolemnem ex ſe Atheiſmi profeſſionem continerent*. Non ſufficiebat Idololatriam Noſtris exprobrare, debuerunt

debuerunt adhuc iſtius inſimulari criminis; quod unum Idololatriâ majus eſt, & id quidem Romæ, Ita Reverendiſſimus Dominus Maigrot, & Dominus Charmot; qui tamen ultimus vix ferre poteſt reſponderi à Jeſuitis, quòd non intelligat ſtatum quæſtionis, quòd malè ratiocinetur, quòd non ſatis bona fide Jeſuitarum textus referat, mentemque interpretetur. Uſque adeò hujuſmodi hominibus perſuaſum eſt, licere ſibi omnia contrà Jeſuitas; nihil Jeſuitis licere contrà alios, ne tueri quidem ſuam famam, quantumvis injuſtè violatam; cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Verùm, etſi nulla Jeſuitarum famæ ratio habeatur, quia tamen plurimi intereſt Eccleſiæ Romanæ, ne putetur in ſuo ſinu fovere Idololatriæ Magiſtros, & Atheiſmi, magni momenti eſt demonſtrare tabellas illas non modò non favere Idololatriæ, neque Atheiſmo, ſed eſſe in Chinâ valdè idoneas ad

monſtrum illud utrumq; deſtruendum: è contrario gravem eſſe metuendi cauſam, ne parùm prudens Reverendiſſimi zelus, niſi quantum ſatis eſt reprimatur, ſubminiſtret anſam Hæreticis, Hollandis maximè, Catholicos reddendi tam odioſos Sinis, quàm Japonibus; ac proindè totam Chriſtianitatem in tam vaſto Imperio, ut olim in Japonia, jam adoleſcentem ſuffocandi.

Unum de tabellis *Xing-Tiēn* affirmat ſæpiùs Diſpunctor in ſuis notis, ut Jeſuitas Sinenſes odioſos reddat, nempè iſtiuſmodi tabellas, non modò quaſi ſalvos conductus ab Imperatore datos, in Eccleſiis eſſe muro appoſitas, ſed etiam in altari ad publicum cultum collocatas. Pag. 139. hiſtoriæ Cult. Sin. Tum ſic ait. *Nonne qui ejuſmodi tabellas in Eccleſiis ſuper altare collocant, veritatem cum errore, lucem cum tenebris, Chriſtum cum Belial conjungunt?* Pag. 142.

Totum autem illud falſum eſſe jam audivimus à Reverendiſſimo Domino à Leoniſſa, qui teſtatur tabellas illas non eſſe ſuper altare collocatas ad cultum,

Alterum Diſpunctor ſilet; quod à Reverendiſſimo Domino Maigrot exigebat bona fides, æquitas, charitaſque Sanctæ Sedi declarari, nempe Jeſuitas Sinenſes his tabellis, ubi voces illæ, *Cœlum colito*, inſcriptæ ſunt, ſcripto adjunxiſſe declarationem, ſeu explicationem, quæ omnem ambiguitatem, atque errandi periculum ſubmoveret: quâ ſcilicet ſignificaretur intelligendam eſſe inſcriptionem de cultu Cœlorum Domini, ſeu veri Dei, ex priſcorum Sinarum ſenſu. Itaque à nemine videri poſſunt Tabellæ: quin eo ipſo moneatur primò: per vocem *Tiēn* Chriſtianos intelligere Dominum Cœli. Secundo, juxtà eos ſenſiſſe idem veteres Sinas.

Iſta autem duo, quorum unum falsò affirmavit Dominus Char-

mot: alterum ſiluit Dominus Maigrot, an ex bona, an ex mala fide, judicent Eminentiſſimi Patres: Iſta, inquam, duo ſi maturè ac ſeriò perpendantur, ità Sinenſes è Societate Miſſionarios vindicant, Tabellaſque purgant, tam clarè exponunt Gentilibus Chriſtianum de vocibus illis ſenſum, ut quæ in Obſervationibus pro tuendis Tabellis ſcripta ſunt, videantur jam ſuperflua. Hæc tamen non omittemus: ſed unum advertat æquus Lector. Quæ manifeſtè detegunt falſam eſſe accuſationem à Domino Maigrot, ſeu Domino Charmot de Tabellis iſtis ad Apoſtolicam Sedem contra Jeſuitas Sinenſes delatam, hæc non habuerunt Europæi Jeſuitæ, niſi à Domino à Leoniſſa contrà Jeſuitas pugnante: quàm multa alia nunc haberent, quæ ſuis adverſariis reponerent, ſi uti Romam ex China duo venerunt inſtructi, armatique contrà Alexandri VII. Decretum, permiſſoſque ab illo ritus, ſic venire quoque ju-

juberentur pro illo tuendo ex eadem China Jeſuitæ!

OBSERVATIO I.

Notorium eſt in China per has voces Xing Tiēn *non intelligi à Chriſtianis Cœlum materiale, ſed Cœli Dominum eſſe colendum.*

HOc itaque primum dicimus, notorium eſſe in tota China per has voces (*Xing Tiēn*) non intelligi à Chriſtianis Cœlum materiale, ſed omnipotentem Cæli Dominum eſſe colendum, ſicuti Apoſtolorum tempore notorium erat in iis Regnis, ubi promulgatum fuerat Evangelium per has voces, Deum colito, non intelligi à Chriſtianis vel Jovem, vel Martem, vel aliud iſtiuſmodi Idolum eſſe colendum, ſed unum ac omnipotentem Cæli, terræque Regem, ac Dominum.

Sicut ergo Apoſtoli tunc non

potuiſſent abſque inſania accuſari, vel Idololatriæ, vel Atheiſmi propter voces illas, Deum colito, vel in tabellis palàm expoſitas, licèt eo tempore innumeri eſſent Idololatræ, qui Jovem Deum appellarent: ita nec poteſt ſine gravi injuria exprobari Sinenſibus Miſſionariis, quòd Idololatriæ favent, vel Atheiſmo per has voces *Xing Tiēn*, ob infideles Atheos, qui ex malitia falſum illis ſenſum affingunt.

Id autem in tota Sina notorium eſſe demonſtratum eſt in reſponſo Sacræ Congregationi oblato, & quidem per decem rationes, quas ibi tam paucis verbis retulimus, ut paucioribus vix poſſint. Quare uti jacent, illas hic exponimus: Unde conſequitur, ſine calumnia dici non poſſe, quòd hæ voces, vel in ore Chriſtianorum, vel in eorum libris, domibus, aut templis, Idololatriam contineant. Dicimus ergo in tota Sina notorium eſſe per has voces, *Cœlum colito*,

non

non intelligi à Chriſtianis Cœlum materiale, ſed omnipotentem Cœli Dominum.

Quia primò. In tota Sina notorium eſt unum à Chriſtianis Deum cœli, & illum eſſe Dominum Cœli, non verò Cœlum materiale: Ergo cùm auditur à Chriſtianis, vel in eorum templis legitur Cœlum eſſe colendum, notorium eſt id ab illis intelligi de Domino Cæli, non de Cœlo materiali.

Quia ſecundò. In tota Sina notorium eſt Chriſtianorum Deum appellari ut plurimùm Dominum Cœli, ac proindè Chriſtianorum *Xã-ti*, & *Tiẽ* non alium eſſe, quàm ipſum Cœli Dominum *Tiẽn Chũ*.

Quia tertiò. In variis Sinæ Provinciis numerantur plures quàm ducentæ Chriſtianorum Eccleſiæ, præter oratoria: notorium eſt autem illas eſſe uni Cœli Domino dedicatas, & conſecratas, ut appoſitæ grandioribus litteris præ foribus Templorum inſcriptioues demon-

monſtrant. Sive ergo *Xam-tī*, ſive *Tiēn chū* colendum eſſe doceant voce, vel ſcripto Chriſtiani, notum eſt de uno Cœli Domino id ab illis prædicari.

Quia quartò A centum annis, & ampliùs in tota Sina prædicant Evangelii Miniſtri, nulli licitum eſſe offerre ſacrificia præterquàm Cœli Domino, non Cœlo materiali, non Terræ, non ſoli, non Aſtris, non Idolis. Non poteſt ergo non eſſe notum in Sina vocem, *Tiēn*, cùm eſt quæſtio de invocatione vel cultu, idem ſonare apud Chriſtianos, atque vocem *Tiēn chū*.

Quia quintò. A centum annis Miſſionarii contendunt, idque probarunt Sinicè editis libris pluribus, antiquos Sinas ſub voce *Xām ti*, & *Tiēn* agnoviſſe, invocaſſe, coluiſſe ſupremum Cæli Imperatorem, ac Dominum; quem ſapientem, potentem, juſtum, piis amabilem, terribilem impiis eſſe prædicarunt: ergo apud omnes

Sinas

Sinas, ſive de antiquis idem ſentiant, ac Miſſionarii, ſive non ſentiant, notum eſt ſaltem Chriſtianos ita ſentire, ac proindè juxtà illos per *Tiēn*, vel per *Tienchū* eundem Cœli Dominum ſignificari.

Quia ſextò. In tota Sina notorium eſt continuò nominari Aulam pro Rege, Urbem pro Urbis Præfecto, Curiam pro Magiſtratu, & pro Patre-familias Domum. Ergo cum Sinæ audiunt à Chriſtianis *Tiēn*, Cœlum eſſe colendum, facillimè intelligunt illos non de Cœlo materiali, ſed de Cœli Domino loqui, ut ſuprà dictum eſt.

Quia ſeptimò. Ipſa Imperatorum edicta in gratiam Chriſtianæ legis per omnes Imperii Provincias promulgata palàm annunciant, illam eſſe legem Cœlorum Domini: ideoque notum faciunt juxtà Chriſtianos non Cœlum materiale, ſed Cœli Dominum eſſe colendum.

Quia octavò. Perſecutiones, quas ubi-

ubique Chriſtiani ſuſtinuerunt pro tuenda, & annuncianda Cælorum Domini lege, magis adhuc in tota Sina manifeſtarunt unum à ſe coli Cœlorum Dominum.

Quia nonò. Ipſemet tabellæ in ducentis ferè Chriſtianorum Ecclesiiis: vel Oratoriis expoſitæ à viginti, & duobus annis, ità confirmaverunt uſum jam aliàs introductum *Tiēn* appellandi Cœli Dominum, exemplo veterum Sinarum, per familiarem etiam Scripturis ſacris figuram, ut Cæli, terræque Conditorem facillimè Sinæ intelligant, cùm à Chriſtianis audiunt ſive *Tiēn*, ſive *Tiēn-chu* eſſe colendum.

Quia decimò. Eò manifeſtiora ſunt iſta, quò plura ſunt diſperſa per varias Imperii Provincias Chriſtianorum millia: hoc autem inter cætera audierunt illi centies à Miniſtris Evangelii antiquos Sinas ſub vocibus *Tiēn*, & *Xām-ti* non Cęlum materiale, ſed ſupremum Cęli Dominum agnoviſſe, & coluiſ-

ſe

ſe: eundemque nunc à Chriſtianis coli, quanquam ſæpiùs *Tiën-chū* appellatum. Id ergo non poteſt ignorari, neque ab Infidelibus, nec à Chriſtianis.

Hæc omnia manifeſtè demonſtrant in tota Sina notorium eſſe per has voces, *Cælum colito*, aut *Xing Tiën* intelligi à Chriſtianis non materiale Cælum, ſed omnipotentem Cæli Dominum, ſicut notorium erat Apoſtolorum tempore, per has voces, *Deum colito*, intelligi à Chriſtianis non Jovem, aut Martem, aut Apollinem, ſed ſupremum Cæli, terræque Imperatorem.

Cùm igitùr Chriſtiani in China jus habeant Deum *Tiën* appellandi, veterum Sinarum more, & etiam modernorum, qui Athei non ſunt, habeantque omninò jus illud fundatum iu cauſis graviſſimis ſuprà expoſitis; cùmque aliundè notum ſit ipſiſmet Infidelibus, etiam Atheis, quòd per iſtam vocem, dum eſt invocationi conjuncta,

vel cultui, Chriſtiani vivum ac verum Cęli Regem intelligant, non Cęlum materiale, certò conſtat, ne umbram quidem eſſe ſcandali ſaltem dati, aut jure accepti in vocibus illis (*Xing Tiēn*) ſicut nec olim in illis, *Deum colito*; ac proindè totam immeritò Eccleſiam ſcandalizat Reverendiſſimus: immeritò vult Romam terrere, & contrà Miſſionarios Sinenſes commovere; immeritò ſubminiſtrat Hæreticorum libellis materiam; promulgato hoc ſuo mandato, quod ab illis ſummo plauſu excipietur, licèt videatur Chriſtianos Sinas redigere ad abſurdiſſimas anguſtias. Meminiſſe oportet Patres Societatis explicationem iiſdem tabellis appoſuiſſe, qua conſtat per vocem *Tiēn* intelligi à Chriſtianis, ut ab antiquis Sinis, & hodiernis non Atheis, Cęli materialis Dominum, & rerum omnium Conditorem. Undè ne eſt quidem umbra ſcandali.

Sanè ſi voces illæ duæ (*Xing Tien*) ideò exterminandæ ſunt,

quia

quia multi ſunt inter Sinas Athei qui materiale Cęlum colunt, ac proindè poſſent voces illas interpretari de materialis Cęli cultu, neque Miſſionarii deinceps, neque Chriſtianis licebit oculos, vel manus in Cęlum, præſertim orando, attollere, Pſalmos decantare, Scripturam legere, quæ clamandum eſſe ad Cęlum docet, auxilium de Cęlo expectandum. Poſſent enim iidem Athei, qui dicuntur voces illas (*Xing-Tiēn*) de materiali Cęlo interpretari, ſentire quoque pariter Chriſtianos recurrere ad Cęlum materiale, dùm in Cęlum oculos attollunt, vel manus: oportebit ergo Chriſtianos, Miſſionariosque oculis ſemper in terram demiſſis incedere, non ex modeſtia, ſed ne dent Atheis occaſionem ſcandali, quaſi manus, & oculos attollendo in Cœlum, videantur Cęlum materiale colere. Quæ quàm ſint abſurda, & vanis ſcrupulis plena, quis non videt? Quamquàm, & ſic non vitarent

ſuf-

ſuſpicionem omnem : Cùm enim in China ſit Templum terræ, & Templum Cęli, videbuntur terram adorare, dum oculos à Cęlo avertent. Imò novi Interpretes, dum Spiritus, quos antiqui Sinæ agnoverunt, & coluerunt, mutant in influentias aereas, ſi nec Cælum intuentur Chriſtiani, nec terram, putabuntur aerem colere. Illis ergo non Cęlum, nec teram, nec aerem orando licebit intueri: quo quid abſurdiùs fingi poteſt?

Itaque ſicut Apoſtoli vocem (*Deum*) liberè adhibuerunt pro ſuo jure ad ſignificandum ſummum Numen, etſi probè noſſent adhiberi quoque eam à Paganis ad ſignificandum Jovem, vel Martem, non nimium inquirentes, quid per accidens, ac præter intentionem ſuam, ex errore, vel malitia Ethnicorum poſſet inde contingere: Ita Chriſtiani apud Sinas debent uti jure, quod habent à ſacris Scripturis, ab uſo communi & antiquo, à veteri jam Sinarum

con-

conſuetudine, clamandi ad Cęlum, in Cęlum oculos, & manus attollendi; recurrendi ad Cęlum, Cęlum invocandi & colendi; apud Sinas, inquam, à centum annis ſufficienter inſtructos, per hanc vocem non ſignificari in his locis Cęlum materiale à Chriſtianis, ſed ſupremum Cęli Dominum; ac Regem. Quòd ſint autem ea de re ſufficienter inſtructi, demonſtrant rationes decem priùs expoſitæ.

Ex quibus omnibus conſtat, quod ab initio propoſitum eſt à nobis, nempe circà voces, quibus Societatis Miſſionarii compellarunt Deum in China, ea illos obſervaſſe, quæ conſtanter obſervarunt Apoſtoli, dum Romæ, & in Imperio Romano Chriſtum prædicarent.

OBSERVATIO II.

Voces illæ Xing-Tiën *in tabellis ipſis deſcriptæ ad deſtruendam in Sinis ſive Idolotriam, ſive Atheiſmum ſunt aptiſſimæ.*

DIximus ſecundò, voces illas (*Xïng-Tiën*) ſeu à Chriſtianis pronunciatas, ſeu ſcriptas in eorum libris, ſeu in eorumdem domibus, aut Templis, & maximè quidem Imperatoris manu exaratas plurimùm valere ad deſtructionem Atheiſmi, atque Idololatriæ.

Ratio prima eſt, quòd voces illæ in Chriſtianorum ore, libris, domibus, aut Templis ſint invitatio continua ad colendum verum, ac vivum Cęli Regem, ac Dominum, uti probatum eſt.

Ratio ſecunda eſt, quòd immenſum prodeſſe queat Sinarum converſioni, ſi perſuadeant ſibi Majores ſuos hunc Cęli Dominum, ac Regem coluiſſe ſub vocibus *Xãm-*

ti,

ti, & *Tiēn*, uti noceret plurimùm, ſi contrà ſentirent. Quàm ſit autem leve Atheorum argumentum ex voce *Tiēn* pro cultu materialis Cęli deductum, demonſtrant appenſæ in Chriſtianorum templis hæ voces (*XingTiēn*) dum enim Sinæ Infideles vident ita loqui cum novo ſuo, & antiquo teſtamento Chriſtianos, quos aliundè juxtà Scripturas eaſdem ſciunt non materiali Cęlo, ſed uni Cęli Domino cultum exhibere, deſinunt mirari, quòd Sinæ veteres hunc Cęli Dominum, juxtà figuram aliàs apud ſe tam uſitatam, ſæpe, *Tien*, vocaverint. Reverendiſſimus Dominus à Leoniſſa fatetur multos in China converſos fuiſſe, videndo in ſuis libris antiquis fundamentum aſſertionis, quâ Miſſionarii Sinenſes affirmant, antiquos Chinæ Philoſophos, vocibus *Tiēn*, & *Xām-tī* Deum intellexiſſe, quem nos Chriſtiani colimus. *In reſponſis ad quæſita Sacræ Congregationis.*

Ratio tertia eſt, quòd hæ voces

Imperatoris manu exaratæ, & in Templis Chriſtianorum expoſitæ, præterquàm quòd ſignificant illa eſſe ſub Imperatoris tutela, contineant adhuc ejuſdem quaſi profeſſionem circà primum illum fidei divinæ & humanæ rationis articulum. Cùm ibi non poſſent habere alium ſenſum, quàm quem ipſe Imperator toties declaravit eſſe ſuum, coli nimirùm oportere ſupremum Cœli Imperatorem, ac Dominum.

Quantum autem vulnus hæc Imperatoris Profeſſio Atheiſmo inflixerit à 25. annis, norunt non modò qui ſciunt, quo ſit apud Sinas loco ſuus Imperator, ſed etiam qui ab hoc tempore adverterunt longè frequentiores Mandarinorum, Magnatumque ad Eccleſias noſtras concurſus, atque cultum Chriſti Salvatoris Imagini ab illis majori Reverentia exhibitum, nec non & longè quoque plures quàm anteà converſiones omnis generis hominum ad Chriſtianorum fidem.

Sanè

Sanè authenticum, & ſolemne hujus rei argumentum eſt mirabile hoc Edictum, quo à paucis annis idem Imperator nondum hactenùs conceſſam, ſæpè denegatam, tandem largitus eſt ſuis omnibus ſubditis amplectendæ Chriſtianorum fidei libertatem. Quem eventum Innocentii XII. Pontificis Maximi temporibus à Divina Providentia reſervatum, ne Reverendiſſimus quidem negare poteſt, Deo, Optimo, Maximo ita diſponente, ad ſæpiùs iteratas Jeſuitarum inſtantias, preces, & lacrymas contigiſſe.

Porrò cum in illo Imperatoris Edicto per omnes jam Imperii Provincias ſolemniter promulgato magnifica mentio fiat Legis Cœlorum Domini, quam ipſe permittit ſubditos ſuos amplecti, dubitare vel leviſſimè quis poteſt, quin eundem Cœlorum Dominum per voces illas *Xing Tiēn* eſſe colendum pronunciaverit?

OBSERVATIO III.

Quot, & quanta mala immineant Chriſtianæ rei in China ex duabus illis primis Mandati Maigrotiani partibus.

DIximus tertiò. Per Mandatum Reverendiſſimi aliaque ſimilia, poſſe ſpem Religionis propagandæ tam benè fundatam, ni Deus hoc malum avertat, brevi evaneſcere. Quot enim, & quanta mala Chriſtianæ rei immineant ex duabus illis primis Mandati partibus, ſi non reſcindatur, paucis exponimus.

Primum eſt, palàm fateri veram eſſe eorum, qui inter Sinenſes hodiernos ſunt Athei, ſententiam, quòd antiqui omnes Sinæ fuerint Athei à tribus nempe & ampliùs annorum millibus. Id autem cùm planè falſum ſit, eſt magnam inferre injuriam antiquis omnibus Sinis.

Secundùm eſt, in ſuo errore con-

confirmare modernos Atheos tam Sinenſes, quam Europæos, repudiata communi non modò Chriſtianorum, ſed & Gentilium voce, & conſenſu; tam innatam nimirùm eſſe humanæ menti alicujus Numinis notitiam, ut nulla gens ſit adeò ferox & barbara, quæ primam illam veritatem quaſi ex condicto rejiciat. Quàm triumphabunt Athei ſi Chriſtianis ipſis fatentibus, gloriari poſſint in tam antiquo, tam diuturno, tam erudito, tot legibus benè conſtituto Imperio omnes per tot annorum millia vixiſſe Atheos, & Atheos obiiſſe.

Tertium eſt. Evangelii Miniſtris eripere arma, quibus contrà Atheorum inſaniam fortiter hactenùs in Sina pugnarunt & feliciter.

Quartum eſt, à nobis alienare ſine ulla utilitate & ratione Litteratos benè de hoc primo principio ſentientes quam plurimos, maximèque Imperatorem.

Quintum. *Scio*, inquit P. Joachimus Bouvet, *& teſtari coram*

Deo poſſum, Sinarum Imperatorem, quem mihi noſſe datum eſt, famæ in omnibus integræ percupidùm, non habere pro nihilo quid de ipſius fide in Europa ſentiatur. Quare ſi forte reſciret haberi ſe pro Atheo, & Atheorum Principe à Miſſionariis tum in Gallia, tum Romæ, ubi hæc accuſatio palàm facta eſt, nihil non eſſet ab ejus ira metuendum.

Illud Atheorum dogma, ſic pergit idem P. Bouvet, *ut à rectæ rationis lumine, & à veterum Sinenſium ſenſu alienum. Chriſtianis omnibus populis, quorum judicium æſtimat, odioſum ſic averſatur Imperator, ut ſummæ duceret injuriæ, ſi ſe apud nos tantæ labis vel ſuſpectum eſſe cognoſceret; & affirmare auſim nulla re magis, quàm falſis hujuſmodi rumoribus diſſeminatis, perturbari poſſe præſentem rerum ſtatum, ex quo tamen,* inquit, *niſi Dæmonis obſtet invidia, ſpes affulget non vana, Sinarum partem maximam ad fidem Chriſtianam adducendi. Quam-*

Quamobrem ut timendis, quantùm in me eſt, occurram incommodis, ſingulari cum reverentia, ſummaque animi demiſſione à Sacra, inquit, *Congregatione poſtulo, ut attendere dignetur, quanta magni Principis injuria, quantoque jam florentis Miſſionis periculo; ſi fides haberetur accuſationi temerè & imprudenter probatæ.*

Cujus enim in hoc genere ponderis eſſe poteſt teſtimonium hominis; qui cùm Imperatorem nequidem ſemel aut per ſe, aut per ſuos viderit, veros illius noſſe non poteſt ſenſus, ne dum eos rectè interpretari?

Cum ex adverſo Patres è Societate multi, qui tot per annos ad eum acceſſêre frequenter, & cum eo ſæpiſſimè & diutiſſimè collocuti ſunt; parati ſint ad unum omnes teſtari coram Deo, ſicut & ego teſtor, accuſationem ſuprà dictam pro falſa & iniqua eſſe habendam. Ita P. Bouvet.

Unde judicare dignentur Emi-

nen-

qui antiquos omnes Sinas fuiſſe Atheos non dubitent; qui tales eſſe quoque hodiè Litteratos ſpargant; qui ipſi Imperatori dogma illud abominandum imponant; qui Romam ſcripſerint, & in Europam, hunc eſſe Principem Atheorum, eoque conſilio has tabellas Chriſtianis dono dediſſe, ut in illis non Cęli Dominum, ſed Cęlum materiale colerent; proptereaque à Summo Chriſtianorum Pontifice poſtulaſſe, ut prohiberentur; licèt ab antiquis Evangelii Miniſtris ante viginti annos reverenter ſuſceptæ, ſine ullo ſcrupulo admiſſæ, & juxtà Imperatoris mentem tam à Chriſtianis, quàm à Gentilibus de colendo Cęli Domino ſemper explicatæ.

Dixi contingere vix poſſe, ut hæc non reſciat Imperator, vel ex aliquorum imprudentia, vel ex adverſariorum malitia, vel ex indiſpenſabili conſervandæ Religionis, ac Fidei neceſſitate. Qui tunc erunt Imperatoris ſenſus? quæ indignatio,

poſt

poſt conceſſam nuper, ſolemni Decreto, tam benignè Legis Chriſtianæ prædicandæ licentiam ?

Septimum. Sed quæ abolitis, prohibitiſque ſolemniter vocibus *Xam-ti*, & *Tiēn* Neophytorum ubique perturbatio ? Quis triumphus Gentilium ? Erunt enim conſequenter prohibendi quoque, vel etiam comburendi libri ferè omnes ad ſexcentos, & ampliùs Sinicè conſcripti à Patre Matthæo Riccio Miſſionis Fundatore, tum ab aliis Evangelii Miniſtris non ſolùm è Societate: ſed ex aliis ſacris Ordinibus, qui in dictis libris, ſaltem multis, has adhibuerunt paſſim voces ad ſignificandum Deum, Siniſque perſuadendum ſuos Majores verum agnoviſſe ſub illis Numen.

Solus Deus novit quæ conſequi inde damna queant in Gente de externis non admittendis hactenùs tam ſollicita, ad ſuſpiciones tam propenſa, alienæ dominationis umbram reverita. Hæc quantùm ſatis

eſt

eſt videmur expoſuiſſe ad præve-nienda mala, quæ ſi ſemel con-tingant, vix poterunt invenire remedia.

Hæc avertet Sancta Sedes, ſi di-gnetur authoritate ſua confirmare, quod eſt pridem in China exemplo Apoſtolorum ab Evangelii Miniſtris conſtitutum, ita nempè ut pluri-mùm adhibendum eſſe vocem (*Tiēn chū*) ad ſignificandum Deum in inſtructione, Catechiſmo, aliiſque hujuſmodi, ut vox quoque *Tiēn* retineatur, nec rejiciatur vox *Xām-ti*, ſive ex libris ubi reperitur, ſive ex colloquiis, aut concioni-bus, ubi erunt Sinæ hodierni con-vincendi, antiquos Sinas verum Numen agnoviſſe.

OB-

OBSERVATIONES
IN CAPUT TERTIUM. MANDATI MAIGROTIANI.
De Informatione Sanctæ Sedis per Patrem Martinum Martinium.

Tertium Mandati Caput ſic habet. *Quæſita ſuper capitibus inter hujuſce Miſſionis operarios controverſis, Summo Pontifici Alexandro VII. propoſita; multis in rebus non eſſe veridica declaramus; ac proindè Miſſionarios reſponſis ab Apoſtolica Sede, rectè quidem & ſapienter, ac juxtà circumſtantias in dubiis expreſſas datis, inniti non poſſe, ad uſitatum apud Sinas Confucii, & Progenitorum cultum permittendum*. Ita Reverendiſsimus D. Maigrot.

QUæ hactenùs circà Sinicas ad ſignificandum Deum voces im-

improbavit Reverendiſſimus, neque improbata fuerant, neque approbata ab Apoſtolica Sede: nemo enim ea Romam detulerat, vel ſi fortè ab aliquo delata fuerant, nullo viſa erant digna examine, at quæ tangit in ſequentibus, ea ſolemniter reprobando, hæc ad Sanctam Sedem non modò delata jam fuerant, ſed & ſolemni Decreto Alexandri VII. Summi Pontificis approbata. Et verò non dubitat in hoc tertio capite definire. *Miſſionarios Sinas non poſſe tuta conſcientia inniti datis ea de re ab Apoſtolica Sede reſponſis*; & in capite quarto graviſſimè prohibere, quæ Romana Sedes permittenda cenſuerat.

Fuit illud quidem ſimul præcipitis, atque tardioris conſilii attentare in Sanctam Sedem, ejuſque Decreta authoritate propria reformare: dixi *præcipitis*: cùm ex ipſa Reverendiſſimi expoſitione conſtet, ipſum ob ſignificatam ſibi nomine Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Goani revocationem, ſubiratum Patri

Jo-

Joſepho de Monteiro, feſtinaſſe ſui Mandati promulgationem. Dixi, *tardioris*: etſi enim debeat nemo talia unquàm tentare, ſi tamen contrà jus & fas id vellet Reverendiſſimus, hunc oportuiſſet iſtiuſmodi Mandatum promulgare ante revocationem, cum novus ille titulus nullitatis, dum cæteris adjungitur, parùm juvet ejus conſilia, nec ſubditos ad obediendum moveat,

Negari vix poteſt, quin iſta ſenſerit Reverendiſſimus atque eſſe imploranda Romæ præviderit, vel timuerit: ſed in hac animi perturbatione, quòd non ſemel à privatis fortè quibuſdam ſat parùm inſtructis, vel Jeſuitarum æmulis audierat, Sanctam Sedem à Patre Martinio fuiſſe olim malè informatam, id ſi in Mandato ſuo præmitteret, legitimam fore ſibi perſuaſit excuſationem de authoritate in Apoſtolicam Sedem uſurpata. Ut igitur in Mandato Reverendiſſimi, quantumcumque aliundè nullo, aliqua

qua umbra æquitatis appareret, oportuit Patrem Martinium juridicè infamare, ac poſt quadraginta annos de crimine falſæ apud Sanctam Sedem informationis condemnare.

Tueri ergo liceat Martinii innocentiam, cujus morum integritati viſus eſt Deus ipſe atteſtari per integritatem corporis, quod ſepultum in loco valdè humido poſt annos viginti repertum eſt prorsùs incorruptum, illæſis etiam ipſius veſtibus, cum magno ſtupore tam Chriſtianorum, quàm Infidelium. Eundem ipſum, non privato ſolùm judicio, quod temerarium eſſet, ſed publica ac ſolemni ſententia falſi condemnavit Reverendiſſimus; quam validis etſi nixam oporteret eſſe fundamentis, ut injuſta hæc non eſſet; probatum, ut ſpero, invenies, Vir Nobiliſſime, non inniti niſi levibus atque falſis conjecturis.

Sanè diligenter advertendum eſt non hîc agi de judicio privato, quo quis poſſet id apud ſe opinari,

ſed de ſententia ſolemniter in iſtum Patrem à Judice Eccleſiaſtico, imò à Vicario Apoſtolico pronunciata. Non potuit id fieri niſi poſt ſerium examen juxtà Leges, vocatis vocandis & auditis audiendis, inſtitutum.

Nam ſi Divus Thomas cum tota ſua ſchola tantum tribuunt legitimis fori externi probationibus, ut velint à Judice condemnari etiam ad mortem eum, quem in foro externo de homicidio legitimè convictum habet, etſi cognitione privata hunc noverit innocentem: longè potiori jure ſentiunt non poſſe ſine crimine infamari à Judice eum, qui in foro externo non eſt legitimè convictus de crimine, etſi aliundè Judex noſſet illum eſſe reum; multò minùs ſi impoſſibile eſt crimen illud, de quo eſt quæſtio, certò eſſe notum Judici, cognitione privata: ut in caſu præſenti contingit. Sit ergo.

OB-

OBSERVATIO I.

Sententia Domini Maigrot contrà P. Martinium fundamento falſo nititur; eſtque tam injurioſa Sacræ Congregationi, quàm eidem Patri.

QUODNAM ſit illud fundamentum palàm ipſe Reverendiſſimus expoſuit, dum reddidit rationem Sanctæ Sedi ſuæ hujus contrà Martinium Sententiæ.

Primò. Igitur ſupponit Sententia Reverendiſſimi Domini Maigrot, Patrem Martinium è Sinis Romam profectum pro tam gravi negotio, nihil aliud Sanctæ Sedi, atque Sacræ Congregationi propoſuiſſe, quàm illa præcisè quatuor quæſita, quæ Apoſtolicum Decretum continet, quibuſque reſpondet Sancta Sedes, præſcribens quid ſit licitum, quid illicitum.

Deberet autem hoc planè conſtare, ut valeret hujuſmodi judicium. Nam ſi P. Martinius fusè explicuit & voce, & ſcripto ritus omnes & conſuetudines Sinarum circà Confucium, & Progenitores, citatis & adductis fideliter librorum classicorum, & Ritualium textibus, non modò falſa erit Reverendiſſimi Domini Maigrot ſuppoſitio, ſed injuſta etiam ejus contrà P. Martinium Sententia. At conſtare non poteſt Reverendiſſimo Domino Maigrot id non eſſe factum à P. Martinio, & quidem ea de re ſilet, hanc ſupponens, & non probans: ergo non debuit, nec potuit Sententiam ferre contra P. Martinium.

Secundò. Suppoſitio illa Reverendiſſimi Domini Maigrot non modò nulla ratione nititur, ſed eſt planè falſa. Nam teſtatur Reverendiſſimus P. à Sancto Petro Dominicanus ſe audiviſſe à Societatis Miſſionariis, quibus cum quinque annos integros vixit, detuliſſe . . . ſecum

ſecum Romam (K) P. Martinium tractatus aliquot, & inter alios grande volumen, in quo fideliter, ſimpliciter, & accuratè expoſitæ erant Sinarum conſuetudines; illoſque tractatus fuiſſe traditos tribus Qualificatoribus, ut conſtat ex chartà ejuſdem Patris manuſcripta, quæ in ſecretariatu ſervatur. Addit narratum ſibi eſſe à P. Intorcetta, qui P. Martinium Romæ comitatus erat, cùm de illis controverſiis acturus iret apud Eminentiſſimos Cardinales, & Sancti Officii Conſultores, volumen illud commiſſum fuiſſe venerabili ſeni ex Ordine Sancti Dominici, quem putat Pater à Sancto Petro fuiſſe Reverendiſſimum P. Candidum, tunc Magiſtrum Sacri Palatii. Item Patrem eundem Martinium debuiſſe, ut mos eſt, hos tractatus redigere in compendium,

(K) *In tractatu de ritibus Sinenſibus erga Confucium, & Progenitores relato apud P. le Tellier. to.2. pag. 287. .... & 288.*

quod Eminentiſſimis Cardinalibus offerebat. Ex illo autem compendio id à Secretario extractum eſſe, quod inſertum fuit Decreto. Ita R. P. à S. Petro Dominicanus.

Tertiò. Id ipſum confirmat Pater idem Intorcetta, (l) in ſuis ad Reverendiſſimum Navarrettam reſponſis, nempè ſecum tuliſſe Romam rationum librum, magnumque volumen tractatuum, & informationum Patrum Societatis, quorum ſingulorum rationes in unum congeſtæ vim magnam faciebant P. Martinio, ad alliciendum aſſenſum circa rei veritatem. Indè probat tempore Patris Martinii quæſtiones illas de ritibus in Sina licitis, vel illicitis, fuiſſe in Curia Romana, & in Sacra Congregatione diſcuſſas, tum deciſas, eo modo quem videmus in Decreto.

Quartò. P. Felicianus Pacheco Viceprovincialis Sinarum lectum teſtatur ſuo juſſu hoc reſponſum

Patris

(l) *In ſua reſponſione ad Navarrett. pag.* 93.

Patris Intorcettæ à ſex Patribus è Societate Theologis, & approbatum anno 1668. Undè etiam alii, qui Rev. Patri Navarrettæ (*m*) reſponderunt, non dubitant remittere incredulos ad Archivium Sacræ Congregationis, ubi invenient juſtum volumen in quo ea, quæ ad quæſita Patris Martinii pertinent, prolixa & fideli naratione referuntur: ex qua deſumptum eſſe compendium, quod in authenticis reſponſis in lucem prodiit, certò conſtabit.

Quintò. Idem teſtatur Pater Couplet his verbis. (n) *Quare ut cauſam ipſius, prout par erat, tueretur, neceſſe fuit provocare ad Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ tribunal, ac Patrem Martinium Miſſionis Procuratorem Romam mittere cum in-*

Q iv

(m) *In approbatione ſua ad calcem reſponſionis poſita.*

(*n*) In brevi relatione de ſtatu Miſſionis Sinenſis oblata Sacræ Congregationi de Propaganda fide anno 1688.

inquiſitionibus, atque informationibus factis à Patre Franciſco Hurtado Viſitatore, à Patre Provinciali, & ab aliis Patribus. Eas informationes Martinius anno 1655. obtulit Sacræ Congregationi de Propaganda fide, addito Memoriali ad Dominos Reverendiſſimos Patres Qualificatores Sancti Officii. Reſponſa verò à Sacra Congregatione Univerſalis Inquiſitionis ad quæſita Miſſionariorum Societatis Jeſu in Regno Sinenſi ſubſecuta ſunt anno 1656. atque à Sanctiſſimo Domino Papa Alexandro VII. approbata.

Sextò, P. Jacobus le Favre (o) *Purpurati Patres de Sinicis tam exactè verbo, ac ſcripto differentem Patrem Martinium privatim, & publicè audiunt: deſcriptam ad ſecuritatem ſpiritualis navigationis tabulam inſpiciunt, metiuntur, explorant. Adſtat, ſpectat, audit ipſe Sanctiſſimus Pater; tum nobili Miſſionariorum manipulo ſtipatum*

(o) In ſua Apologia.

tum Martinium Apoſtolicâ benedictione lætum, ac ſuffultum dimittit, nec multò poſt ab ipſomet cum Sacræ Congregationis Proceribus corroboratâ, munitâque per approbationem tabulâ, abeuntem eminùs quaſi regio divinoque munere proſequitur. . . .

Septimò. Si placeat Sacræ Congregationi imperare, ut in Archiviis hujuſmodi acta inquirantur, his procul dubio inventis facillima erit cauſæ deciſio. Et verò poteſt ne eſſe ulla ratio vel leviſſima ſuſpicandi, quin Sacra Congregatio, antequàm Decretum anni 1656. ederet, ſe à P. Martinio ea de re inſtrui juſſerit? Num potiùs graviſſimæ ſunt cauſæ judicandi ita contigiſſe? Sanè non potuit aliter fieri.

Nam primò, Sacræ Congregationi perſuaſum fuit tunc temporis de veritate facti à Martinio expoſiti. Hoc invictè probant ejus reſponſa. Sic enim fert Decretum: *Sacra Congregatio cenſuit permitten-*

tendas has cæremonias circà Confucium, quia videtur cultus eſſe merè civilis & politicus. Item de ritibus circà defunctos abſolutè etiam pronunciat, *eſſe* nempè *tolerandos*. Non ita loquitur qui de veritate facti dubitat. Id concedunt & adverſarii noſtri, cùm ſupponunt, atque probare conantur deceptam à Patre Martinio fuiſſe Sanctam Sedem: cùm enim reprobent Sacræ Congregationis reſponſa, niſi confugerent ad falſam informationem P. Martinii, cogerentur Sacram ipſam Congregationem, vel imprudentiæ accuſare, vel etiam culpæ in re tantâ gravioris.

Secundò. Dubitare nemo prudens poteſt, quin Sacra Congregatio, antequam crederet enarratis à P.Martinio factis, ea diligenter expenderit: Agebatur enim de præſcribendis legibus, quas Apoſtolica Sedes approbaret, ſequerenturque Evangelii Miniſtri in annuncianda Sinis Lege Chriſtia-

na. Solummodò ea leguntur quæ de gravitate hujus rei tam ſæpè repetunt Reverendiſſimus Domiuus Maigrot, & D. Charmot. Et verò qui non dubitat authoritate propria leges illas jam à 40. annis promulgatas reſcindere, neque dubitaret Sanctam Sedem accuſare oſcitantiæ, ſi leges iſtiuſmodi vel tuliſſet, vel approbaſſet, non ſolûm abſque ullo examine, ſed abſque ſufficienti examine.

Tertiò. Meminerat autem Sacra Congregatio Decreti ante decem annos conſtituti ad quæſita R. Patris de Morales Dominicani: ità verò meminerat iſtius Decreti, ut illud inſerverit datis P. Martinio reſponſis: non poterat ergo ignorare Reverendiſſimum P. de Morales ea de mortuis, atque Confucio affirmaſſe, quæ planè negabat P. Martinius. Alter enim retulerat Sacræ Congregationi vera ſacrificia offerri Confucio, & defunctis: multa ſperari ab illis, & peti, Alter contendebat hujuſ-

modi

modi *ritus eſſe ex ſe politicos , et civiles, quoad ſubſtantiam , adeoque non vera Sacrificia : nihil ex prima inſtitutione nec ſperari ab illis , nec peti ; nullam in eis divinitatis partem agnoſci.*

Quartò. Dubitari ergo non poteſt ſine injuria Sacræ Congregationis, quin à P. Martinio petierit illa dicti rationes : quin graves illi reddiderit ac ſolidas ; cùm à Sacra Congregatione Decretum obtinuerit quæſitis ſuis conforme, & à Sancta Sede approbatum. Et verò per ſex menſes & ampliùs agitata fuit hæc quæſtio . Quos in ea adverſarios habuit , certò ſcimus eos nihil non moviſſe , ut antequàm eſſet Romæ P. Martinius , denuò confirmaretur Decretum anni 1645, ad quæſita Reverendi Patris de Morales conſtitutum . Nobis iſtud conſtat litteris ad Martinium tunc Antuerpiæ exiſtentem ab Aſſiſtente Germaniæ datis , quarum hic ſubjicio fragmentum.

Accipi

Accepi binas Reverentiæ veſtræ gratiſſimas, &c. *Religioſi nobis adverſi eo uſque rem deduxerant, ut in prima Congregatione ſententiæ eorum contrà nos datæ de rebus Japoniam, & Chinam, aliaſque Indias ſpectantibus, eſſent confirmandæ. Fortuitò accidit ut reſciremus: atque indè pretium eſt, ut cùm Reverentia Veſtra à Sinica Miſſione propter hæc negotia venerit, ſaltem differatur res, donec R. V. audita fuerit: curatum iri ut brevi huc veniat, ſcilicet dum calores Urbem ingredi permittunt. Cætera antiquo ſunt loco*: &c. *Romæ 27. Januarii anno 1655. Reverentiæ Veſtræ, ſervus. Chriſtophorus Schorrer.*

Indè patet inchoatam fuiſſe jam litem ante Martinii adventum, alteramque partem jam à decem annis auditam non obdormiiſſe.

Quintò. Romam properavit Martinius acceptis illis litteris: Nam menſe Septembri Libellum hunc

hunc ſupplicem obtulit Sac. Congregationi.

Cùm Eminentiæ Veſtræ jam ante hos aliquot menſes Patri Generali Societatis Jeſu veniam hunc poſtulanti conceſſerint, ut differretur promulgatio mandatorum quorumdam ſpectantium ad Chriſtianos Sinenſes, donec adveniſſet Pater Martinius, ubi jam advenit, ſe ante Eminentias Veſtras ſiſtit, & ſubmiſsè ſupplicat, atque obſecrat, ſibi ut judicetis quid velitis fieri. Atque ipſe, ſi Veſtris Eminentiis ita viſum fuerit, rogat, ut aliquos è vobis Eminentiſſimos Cardinales eligatis; quibuſcum immediatè agere, & colloqui poſſit, atque iis ipſis rationem reddere, cum ea, qua par eſt, reverentia & ſinceritate, eorum omnium quę pertinent ad facta controverſa; & ad Sinenſes Chriſtianos, & ad eam cum iis agendi praxim, quam Societatis Jeſu Patres ſequuntur.

In altero memoriali ſic loquitur. *Vt itaque Sacra Congregatio de*

Propaganda informetur, dico in illis quæſitis Patris Joannis *Bapt. Morales, nonnulla prorsùs falſa, tum quoad ipſamet facta, tum quoad noſtras praxes, fuiſſe Theologis illis à Sacra Congregatione deputatis ſuppoſita; Quod omnium PP. Societatis, qui hactenus in Sina fuerunt, teſtimonio probo: non eo animo ut Patri* Joanni *Baptiſtæ, ac Sociis fidem adimam, ſed ut etiam nobis adhibeatur, & quidem magis quàm illis: quia juxtà notam regulam teſtes magis informati reliquis ſunt preferendi.*

Iterùm inferiùs dum loquitur de eodem R. P. de Morales: *Propoſuit ergo dubia illa*, inquit, *pro libito: reſolutiones habuit juxtà falsò allata, & ſuppoſita: quibus obtentis, demùm Societatis Patres contrarium ſentire, ac facere publicavit, nulla antea de modo noſtro facta mentione; quia, ne pars audiretur, timuit.*

Iſta referre nos cogit confidentia Domini Charmot ſic loquen-

tis, *Quando anno 1656. ſub felicis recordationis Alexandro Papa VII. Pater Martinius rem alio modo expoſuit, & ab hac Sacra Congregatione aliud Decretum obtinuit, certum eſt id factum eſſe partibus non auditis, & nemine contrà P.Martinium dicente.*

Sextò. Judicet ſapiens quiſque quid apud D. Charmot certum reputetur vel dicatur. Pater de Morales Dominicanus anno 1645. è Sina Romam pervenit, ibi auditus eſt diù multumque. Expoſuit ritus Sinenſes, nemine contradicente: non ex malo affectu; abſit ut credamus, ſed experientiæ defectu; malè ipſe informatus, malè informavit; Decretumque obtinuit non auditis Sinenſibus è Societate Miſſionariis, Sacra ipſa Congregatione id atteſtante. Venit P. Martinius poſt decem annos tantùm: nemo ante illum è Societate: toto igitur illo temporis ſpatio, qui putabant ſibi incumbere, ut cauſam R. Patris de Morales

tuerentur, ita præoccupaverant animos Eminentiſſimorum Cardinalium, & Qualificatorum, ut parùm abſuerit quin iterum Jeſuitis non auditis aliquid decerneretur. Quia tamen accipiens Sacra Congregatio Patrem Martinium jam veniſſe in Europam, Romæque adſuturum quantociùs, judicium illud ſuum ſuſpendit, contràque audito Patre Martinio, omnem Societatis praxim approbavit, conſtituto ſpeciali hac de re Decreto; confidenter propterea docet Dominus Charmot id factum eſſe, *partibus non auditis*. Quis illi aſſentiatur?

Certum eſt contrà, Sacræ ipſius Congregationis teſtimonio, Decretum anni 1645. fuiſſe editum, non auditis Jeſuitis; ſed non minùs certò conſtat Decretum anni 1656. non fuiſſe conſtitutum, niſi poſt auditos integro decennio Jeſuitarum adverſarios. Imò, niſi poſt examinatas impugnataſq; ab iiſdem Patris Martinii rationes, & defen-

ſiones, quas apud ſe diù retinuit Reverendiſſimus P. Vincentius Candidus Sacri Palatii Magiſter in illo grandi volumine, de quo priùs.

Et verò non aliundè, quàm ex contentionibus illis, factum eſt, ut P. Martinius, poſt multos menſes in informanda Sacra Congregatione Romæ tranſactos, coactus ſit indè re infecta diſcedere, urgente nimirùm navigationis tempore, undè poſt diſceſſum tantùm illius, confectum eſt à Sacra Congregatione decretum anni 1656. quod Alexander VII. approbavit: Eratque jam Ulliſippone P. Martinius mari ſe committere paratus, cùm Decretum illud accepit. Quare non videtur dubitari poſſe prudenter, quin iſtiuſmodi judicium, utraque parte audita, dici debeat contradictorium. Hoc tamen reſcindere, reformare, annullare Reverendiſſimus D. Maigrot non formidat: in quo gravem facit injuriam non Patri Martinio ſolùm, quem falſi falsò accuſat, ſed etiam Sacræ Congre-

gregationi, quam gravis ſaltem imprudentiæ, ſi non verbis, ipſo tamen facto damnat.

Nam cùm indè Sacra Congregatio videret duas partes oppoſitas de ritibus Confucii, Progenitorumque contendentes, conſtetque hanc adhibuiſſe fidem Patri Martinio, ex reſponſis ad ejus quæſita datis, alterutrum contigiſſe neceſſe eſt, ſi erravit, ut placet Reverendiſſimo Domino Maigrot; vel ut huic Patri ſine ullo, aut ſaltem ſufficienti veritatis examine fidem habuerit, vel ut bene ponderatis utriuſque partis argumentis ac rationibus putaverit ſtandum eſſe pro Martinio, cùm juxtà Reverendiſſimum contrà Martinium ſtare debuiſſet. Alterutrum autem affirmare, eſt gravem, ut patet, imprudentiæ notam Sacræ Congregationi inurere, nempe vel quòd abſque examine prævio ſententiam pronunciaverit, vel quòd poſt ſufficiens examen partem amplexa ſit deteriorem.

Sanè ſi rem diligenter Sacra Congregatio expendit, ut certò conſtat ex dictis; ſi poſt rem diligenter expenſam ſapienter pronunciavit, neceſſe eſt P. Martinium non modò ſua quæſita ſimpliciter propoſuiſſe, ſed eorum quoque veritatem ita probaſſe, hoc eſt, tam ſolidis argumentis, tam gravi authoritate ſententiam ſuam confirmaſſe, confutaſſe oppoſitam, ut Societatis praxim circà ritus Confucii, & progenitorum prudenter, & abſolutè ſolemni Decreto approbare poſſe ſe judicaverit, non Sacra ſolùm Congregatio, ſed & Sancta Sedes. Hoc autem poſito ſtare debet Decretum Sacræ Congregationis anni 1656. ab Alexandro VII. confirmatum: ſtare debent ejus reſponſa ad quatuor Patris Martinii quæſtiones: His Apoſtolicæ Sedis reſponſis inniti tuta conſcientia poſſunt Miſſionarii Sinenſes: reſcindi, reformari, annullari neceſſe eſt Mandatum Reverendiſſimi, quo malè reformatum eſt Apoſtolicum illud

illud Decretum; quo reformatum eſt ex falſó prætextu malæ informationis.

Septimò. Hæc ideò dicta non ſunt quaſi vellemus ita pronunciatum à Sacra Congregatione fuiſſe ſuper veritate facti à P. Martinio expoſiti, ut liberum ei non ſit rurſùm in examen illud revocare, vel etiam contrà decidere, ſi quid novum, & magni momenti contrà illuxiſſet. Hoc tantùm volumus indè ſequi. Primò. Quæſita Patris Martinii viſa eſſe Sacræ Congregationi fideliter propoſita, ut ex ejus reſponſis manifeſtè patet. Secundò. Non ita ſenſiſſe Sacram Congregationem, niſi poſt maturum examen, accuratamque totius rei diſcuſſionem, diù multùmque à decennio integro, ſed tunc maximè, auditis partibus. Tertiò. Ut ſuum reformet nunc judicium, ſententiamque immutet circà ritus Sinenſium, poſtulare hanc pro jure ſuo nova & validiora contrà hujuſmodi ritus argumenta. Quartò. Etſi

hujuſmodi adinveniſſet Reverendiſſimus Dominus Maigrot, illum debuiſſe ea primùm proponere Sacræ Congregationi, ut his examinatis ipſa per ſe judicaret, an deberet aliter ſentire quàm anteà, ſuumque Decretum reformare. Quintò. Hoc ipſum fuiſſe Vicariis illis ab eadem Sacra Congregatione commendatum illis verbis. *Nolite quidquam magni momenti gerere ſine hujus Sacræ Congregationis Mandato, earumque rerum quas pro veſtro munere, temporiſque neceſſitate geſſeritis, rationes ad hanc Sacram Congregationem ſic ſcribite, ut Sinenſes intelligant in negotiis gravioris momenti conſulendam eſſe Apoſtolicam Sedem.* In excerptis ex inſtructione pag. 7.

Sextò. Non poſſe ergo excuſari Reverendiſſimum D. Maigrot de reformato propria authoritate Sanctæ Sedis judicio, etſi novas haberet ſolidaſque contrà Sinenſium ritus rationes, quibus poſſet probari malè fuiſſe informatam à P.

Mar-

Martinio Sanctam Sedem.

Septimò. Illum verò multò minùs excuſandum, qui nihil niſi leve contrà dictos ritus, informationemque producat.

OBSERVATIO II.

Confutantur rationes à Domino Maigrot allatæ pro tuendo ſuâ contrà Martinium Sententiæ fundamento.

EXpendamus nunc temporis rationum momenta, quibus adductum ſe refert ipſe Reverendiſſimus non ad opinandum modò privatim, ſed ad decidendum ſolemniter ac juridicè Sanctam Sedem fuiſſe à Patre Martinio de Sinenſium ritibus malè informatam. Nùm ipſe fortaſſis adfuit præſens Romæ, dum in Sacra Congregatione res eſt agitata? Nihil minus: ante 40. annos conſtitutum eſt Romæ Decretum, quod reformandum cenſuit. An producit teſtes,

qui tunc adfuerint? Nullum prorſùs hujuſmodi. Qua ergo authoritate, qua ratione innixus contrà P. Martinium juridicè pronunciat?

Dicit primò. Reverendiſſimus Dominus Maigrot Patres Dominicanos id unanimi conſenſu affirmare.

Reſpondeo primò. Unanimem illorum conſenſum eſſe fortè duorum aut trium: dubitari enim jure poteſt, an ſint plures in Reverendiſſimi Domini Maigrot Provincia. *

Reſpondeo ſecundò. Illos duos vel tres eſſe fortè tam novos in Sina, quàm Reverendiſſimum Dominum, tamque proindè parùm inſtructos de Sinenſium ritibus.

Reſpondeo tertiò. Non ignoraſſe Reverendiſſimum Dominum paucis illis Dominicanis opponi poſſe mul-

* *Quando P. le Conte rediit ex China ante paucos annos, erant ſolùm in toto illo Imperio quatuor Miſſionarii ex Sacro S. Dominici Ordine Tom. 2. pag. 356.*

multos atque eruditos ex eodem ſacro Dominicanorum Ordine Miſſionarios ac Theologos, non quidem noetericos, ſed antiquos, Sinicèque Doctiſſimos Evangelii Miniſtros, qui contrà ſenſerunt. Talis R. P. Dominicus Sarpetri; talis fuit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Gregorius Lopez, Epiſcopus Baſilitanus, & poſteà Pekinenſis: talis Illuſtriſſimus Philippus Pardo, Archiepiſcopus Manilenſis: talis R. P. Baltaſſar de Santa Crux, Commiſſarius Sancti Officii & Provincialis, quorum alter permiſit imprimi Patris Joannis de Paz reſponſa, alter approbavit: Tales quoad majorem partem qui aderant in cætu LanKinenſi ex ſacro illo Ordine, ut teſtatur P. Sarpetri, qui ibi præſens interfuit; erat autem cætus ille tredecim Dominicanorum tunc temporis: talis, qui inſtar omnium poteſt eſſe, Doctor ac Magiſter cæterorum idem R. P. Joannes de Paz: de quibus infrà pluribus. Hi omnes ſtandum judi-

dicarunt circà ritus Sinenſium Alexandri VII. Decreto, ſequendamque Jeſuitarum praxim.

Dixi iſta non ignoraſſe Reverendiſſimum Dominum, cùm affirmet ſe legiſſe libros R. P. le Tellier, in quibus citata proindè legit certa hujus rei teſtimonia: quæ tamen ex bona fide is diſſimulanda putavit apud Sanctam Sedem, qui de Patre Martinio tam amarè conqueritur, ob diſſimulatam, inquit, ab eo ſuæ ſententiæ probabilitatem.

Reſpondeo quartò. Addantur iſtis ex ſacro Sancti Dominici Ordine Miſſionariis plures quàm ſexaginta è Societate Patres: Quæro nùm iſti tanto numero Miſſionarii, inter quos benè multi vixerunt in Sina 20. 30. 40. & 50. annos; quæro, inquàm, nùm apud virum prudentem pręponderent paucis aliis?

Reſpondeo quintò. Cum inſtituatur quæſtio de recta, vel perverſa informatione Patris Joannis

de

de Morales, vel P. Martini Martinii, alterius Dominicani, Jeſuitæ alterius, peto an ſecundùm æquitatis leges judicet, qui ex teſtimonio paucorum Dominicanorum, contrà aliorum & quidem plurium ſuffragia, ne auditis quidem Jeſuitis, contrà Jeſuitas ſententiam ferat? Sanè niſi novum jus condatur; niſi inſtituantur novi Canones, juxtà quos impunè liceat per fas & nefas imponere Jeſuitis quidlibet; eoſque damnare etiam innocentes, ſtare non poterit judicium Reverendiſſimi contrà P. Martinium.

Reſpondeo Sextò. Paucos illos Dominicanos vocari ab Illuſtriſſimo Gregorio Lopez pariter Dominicano, & Sina, *Tyrones in libris, litteriſque Sinenſibus, in multis torquentes, & exterminantes ſenſum characterum Sapientiæ Sinicæ, ſeipſos & alios inaniter ſeducentes, & in abyſſum lubricarum ambagum ſe implicantes*. Ita de illis Lopez in ſua ad Sacram Congrega-

gationem epiſtola. Unde levis admodùm haberi debet à viro prudente paucorum illorum, qui nunc ſunt in Sina, Dominicanorum authoritas: cùm aliundè certò ſciamus ex litteris ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi ad innocentium XI. & ad Sacram Congregationem datis anno 1684. malè omninò tractari eos qui ex ſacro illo ordine de ritibus Sinicis aſſentiri audent Jeſuitis; & propterea pluſquàm probabile non mitti ad Sinam nunc è Manila niſi eos, qui ſe contrà pugnaturos pollicentur, prohibitis interim illuc ire reliquis omnibus, qui cum Patre Joanne de Paz, cæteriſque ſuprà nominatis Dominicanis, illos ritus innocentes eſſe docent, ſaltem quòad ſubſtantiam.

F. Antonius Calderon hujus meæ Provinciæ, inquit Lopez, *SS. Roſarii Provincialis, acri contrà me percitus œſtro, eò quòd exiſtimet me diſſentiri aliquibus Patrum Ordinis mei opinionibus circà contro-*

troverſias, quæ in Sinis continuò diſcutiuntur, & in Curia hac diſputantur, meque ſuffragari aliis opinionibus Miſſionariorum Societatis Jeſu .... Hanc ob rem præfatus Provincialis verbis me indecoris affecit, & meum in Sinas reditum huc uſque fruſtravit, meque quaſi vinctum detinens in quodam Ordinis mei Conventu, à quo clàm evadens in hunc confugi Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini. Mihi inſuper fuerat comminatus præfatus mei Ordinis Provincialis, ſi alieno fretus auxilio in Sinas conarer reverti, exuendum me prius fore ab illo habitu meæ Religionis, & ſimul à ſe revocandos eſſe Manilam omnes Religioſos Miſſionarios mei Ordinis in Sinis degentes. Ita Illuſtriſſimus Gregorius Lopez, Epiſcopus Baſſilitanus, Vicarius Apoſtolicus NanKinenſis, poſteà verò Epiſcopus PeKinenſis, ad Innocentium XI.

Unde judicet ſapiens quiſque, an paucorum hujuſmodi Dominicanorum

gationem epiſtola. Unde levis admodùm haberi debet à viro prudente paucorum illorum, qui nunc ſunt in Sina, Dominicanorum authoritas: cùm aliundè certò ſciamus ex litteris ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi ad innocentium XI. & ad Sacram Congregationem datis anno 1684. malè omninò tractari eos qui ex ſacro illo ordine de ritibus Sinicis aſſentiri audent Jeſuitis; & propterea pluſquàm probabile non mitti ad Sinam nunc è Manila niſi eos, qui ſe contrà pugnaturos pollicentur, prohibitis interim illuc ire reliquis omnibus, qui cùm Patre Joanne de Paz, cæteriſque ſuprà nominatis Dominicanis, illos ritus innocentes eſſe docent, ſaltem quòad ſubſtantiam.

F. Antonius Calderon hujus meæ Provinciæ, inquit Lopez, *SS. Roſarii Provincialis, acri contrà me percitus œſtro, eò quòd exiſtimet me diſſentiri aliquibus Patrum Ordinis mei opinionibus circà contro-*

tro-

troverſias, quæ in Sinis continuò diſcutiuntur, & in Curia hac diſputantur, meque ſuffragari aliis opinionibus Miſſionariorum Societatis Jeſu . . . Hanc ob rem præfatus Provincialis verbis me indecoris affecit, & meum in Sinas reditum huc uſque fruſtravit, me quaſi vinctum detinens in quodam Ordinis mei Conventu, à quo clàm evadens in hunc confugi Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini. Mihi inſuper fuerat comminatus præfatus mei Ordinis Provincialis, ſi alieno fretus auxilio in Sinas conarer reverti, exuendum me prius fore ab illo habitu meæ Religionis, & ſimul à ſe revocandos eſſe Manilam omnes Religioſos Miſſionarios mei Ordinis in Sinis degentes. Ita Illuſtriſſimus Gregorius Lopez, Epiſcopus Baſſilitanus, Vicarius Apoſtolicus NanKinenſis, poſteà verò Epiſcopos PeKinenſis, ad Innocentium XI.

Unde judicet ſapiens quiſque, an paucorum hujuſmodi Dominicano-

rum

rum authoritas fuerit Reverendiſſimo Domino Maigrot argumentum ſufficiens condemnandi juridicè de falſa informatione Patris Martinii; quem illorum nemo unquam vidit, quem ſcimus aliundè Sacræ Congregationi Sinenſium ritus fusè explicuiſſe, cujus pietatem, ac virtutem Chriſtiani, atque Infideles mirati ſunt.

Dicit ſecundò. Reverendiſſimus Dominus Maigrot Reverendos Patres Franciſcanos, qui ſunt in Sina, idem quoque de Patre Martinio ſentire, quod Apoſtolicam Sedem malè informavit.

Reſpondeo ſecundò. Reverendos illos Patres fuiſſe aliquandò adhuc pauciores in Sina, quàm Dominicanos: debuiſſe ergo moneri à Reverendiſſimo Domino Sacram Congregationem, qui & quot eſſent hujuſmodi illi teſtes; alioqui non poteſt hîc Romæ conjici cujus ponderis eſſe debeat horum authoritas.

Reſpondeo ſecundò. Poſſe tamen Sa-

Sacram Congregationem ex ipſis illorum litteris, quas tum Hiſpanico, Latinoque idiomate Romam miſit Reverendiſſimus Vicarius, ut authentica teſtimonia, poſſe, inquam, inde ſatis colligere, quid ſentire ipſa debeat tam de numero, quàm de authoritate hujuſmodi teſtium. De numero quidem, duos ſolos, vel tres profert. De authoritate verò judicet Sacra Congregatio, non ex relatione Jeſuitarum Sinenſium, quàm nondùm accepimus, ſed ex ipſis teſtium litteris. Horum enim alter ultima in epiſtola 23. Maii 1693. data, adeò peritum ſe eſſe linguæ Sinicæ indicat, ut, cùm jam ab anno Confeſſionibus audiendis vacaret (quod epiſtola præcedente notatur) tamen certum illi eſſe non poſſet, utrùm ipſe Pœnitentes intelligeret, atque ab his intelligeretur, niſi Confeſſionis formulam ſcripto exaratam illis ob oculos poneret, qua lecta digito monſtrarent; quænam ex peccatis illic de-
ſcrip-

terim cum Sinis niſi per Interpretem loqui valeant? De hoc non dubitat Obſervationum Author; conqueritur ſolùm quòd tam indoctum Sinicè hominem, quaſi teſtem idoneum in hac graviſſima cauſa apud Sacram Congregationem Dominus Charmot producat; (*q*) quòd commendet ejus authoritatem & ſcientiam: quòd tres ipſius Epiſtolas ad multiplicanda teſtimonia cæteris adjungat.

Neque tamen verum eſt, inquit. (*r*) *Patrem Thomam Lucam jam annum integrum in Sina degentem, niſi per ſigna Confitentes Chriſtianos audiviſſe. Non hoc ipſe dicit, ſed tantùm ante oculos Confitentium poſuiſſe formulam Confeſſionis litteris exaratam, ut certus eſſet, an illi eum intelligerent, & ipſe illos.* Non eſt opus plura dicere quam ipſe fatetur ad probandam ſuam in litteris Sinenſibus ignorantiam, & ad illum in hac cauſa

(q) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 469. (r) *Pag.* 230.

tanquam idoneum teſtem recuſandum. Nota has voces (*ut certus eſſet*) has immutat ſtatim Dominus Charmot, dicens hunc ita egiſſe, *ut certior eſſet*. Rursùm notandum preduci tertiæ iſtius Epiſtolæ ſolum fragmentum: Si dediſſet integram, fortè & alias haberemus vel illius recuſandi, vel adverſarios noſtros accuſandi cauſas. Notandum denique aliquot alios ex teſtibus à Domino Maigrot productis, non eſſe fortè P. Thoma Sinicè doctiores, ſed fuiſſe in hoc detegendo cautiores.

Reſpondeo tertiò: Paucis illis, qualeſcumque fuerint tandem, teſtibus opponuntur non modò longè plures è ſola Societate Miſſionarii, quàm ſint ex reliquis Ordinibus ſimul ſumptis, ſed etiam ſuprà nominati ex Sacro Dominicanorum Ordine tam eruditi Sinicis præſertim litteris Evangelii Miniſtri. De his fusè in obſervationibus, quæ ad quartum Mandati

dati pertinent. Ut nihil nunc dicam de Illuſtriſſimis Epiſcopis PeKinenſi, NanKinenſi, & Cantonienſi, quos certum eſt Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Maigrot non aſſentiri.

Vidit procul dubio Reverendiſſimus quàm parùm fidei ad ſolemnem Patris Martinii infamationem mereantur producti à ſe teſtes, qui de facto Romæ tranſacto ante 40. annos in Sina teſtantur: Undè cum nec oculati fuerint, neque contrà longè plurium teſtimonia ob allatas modò rationes admittendi, ea putavit Sacræ Congregationi proponenda rationum & argumentorum momenta, quæ ad falsi convincendum P. Martinium ſibi viderentur eſſe majora.

Dicit igitur tertiò Reverendiſſimus malè informatam fuiſſe à Patre Martinio Sanctam Sedem, ex eò quòd is omnia retulerit tanquàm certa & indubitata, cum è contrario debuiſſet ea ſolùm proponere, ut probabilia. Sic enim

locutus eſt P. Martinius „ Soli
„ Studioſi , & Philoſophi conve-
„ niunt , Confucium tanquam,
„ Magiſtrum agnoſcentes civilibus,
„ & politis ritibus ex ſua inſti-
„ tutione &c. nullam Sinæ divi-
„ nitatem animabus defunctorum
„ tribuunt , nihil ab illis ſperant,
„ aut petunt . *Proponere autem, iſta* , inquit Reverendiſſimus , *eo modo , eſt proponere tanquam certa, quæ tamen ſolùm probabilia ipſi Jeſuitæ judicant.*

Quàm ſit vana , quàm Apoſtolico Vicario parùm digna hæc ratio ad virum pium , religioſum, ac doctum toto orbe infamandum, judicabunt ipſi Eminentiſſimi Patres , ac Judices .

Reſpondeo ergo primò . Stando Sacræ Congregationis Decretis anni 1645. & anni 1656. non aliter eſſe locutum anno 1656. Patrem Martinium , quàm anno 1645. R. P. Joannem de Morales Dominicanum: legi poſſunt quæſita utriuſque : uterque exponit ſimplici-

ter

ter quod ſentit de Sinenſium riti-bus, nulla facta vel certitudinis, vel probalitatis mentione, Grande tamen in eo ſcelus admiſit Jeſuita: nullum autem Dominicanus. Ubi jus? ubi æquitas?

Reſpondeo ſecundò. Eò majorem in hac Patris Martinii accuſatione elucere injuſtitiam, quòd, quæ ipſe anno 1656. Sacræ Congregationi retulit, eadem Sacra Congregatio à P. Joanne de Morales ea negari noverat, ac proinde eſſe controverſa: Quæ verò anno 1645. Pater de Morales propoſuerat, cùm neminem is haberet tunc Romæ contradicentem, videri poterant longè magis propoſita eſſe tanquàm certa & indubitata. Hic tamen non arguitur; ille juridicè condemnatur.

Reſpondeo tertiò. P. Martinium ea Congregationi retuliſſe, quæ vera crederet de ritibus erga Confucium, & Progenitores: quæ autem vera creduntur ſimpliciter & abſolutè; ea ſimpliciter, & abſo-

lutè referuntur: Judicum eſt expendere, quem vel probabilitatis, vel certitudinis gradum habeant rationes ad probandum ea eſſe vera allatæ. Itaque fuit P. Martinii probare vera eſſe quæ de Sinenſibus ritibus diceret; falſa quæ R. P. de Morales retulerat: Sacræ autem Congregationis judicium ferre, ut reverà tulit, conſtituto Decreto, quod Martinio favet, & Reverendiſſimo diſplicet.

Reſpondo quartò. P. Martinio, cæteriſque è Societate Miſſionariis tanto numero cum illo ſentientibus viſa eſſe vera, quæ Sacræ Congregationi propoſuit: quia longè eſſe putavit probabiliora, ne dicam moraliter certa. Quæ contrà objiciebantur, vel nihil vel tam parum habere videbantur probabilitatis, ut ex ſola reverentia eorum qui contradicebant, & ex pacis, ac concordiæ ſtudio ſententia oppoſita ſineretur dici probabilis.

Audiri poteſt jam ſuprà citatus, &

& citandus deinceps pluries R. P. Dominicus Sarpetri Dominicanus, *Anno, inquit, proximè elapſo miſi in Europam authenticum teſtimonium, in quo affirmabam cum juramento, praxim cæremoniarum, quibus honoratur memoria Confucii, & Progenitorum eſſe fundatam in opinione probabiliori, quàm ſit praxis oppoſita: Cum autem tunc aliquas ſolùm adduxerim hujus rei probationes, quæ mihi videbantur convincentes, putavi nunc temporis expedire, ut quàm fieri poterit breviſſimè, clariùs tamen & expreſſiùs exponerem fundamenta, quæ evidenter probant opinionem Jeſuitarum probabiliorem eſſe oppoſitâ adverſariorum ſententiâ.* Pergit in toto ſuo tractatu idem R. P. Dominicus, & Dominicanus ſatis fuſè id probare tam de probabilitate intrinſeca, quàm de extrinſeca.

Quo itaque jure, quibus conſcientiæ Chriſtianæ legibus adduci potuit Reverendiſſimus D. Maigrot

ad publicè infamandum P. Martinium, quòd expoſuerit ſimpliciter Sacræ Congregationi ſententiam ſuam de ritibus Sinenſium politicis, quam cum tot Miſſionariis æquè piis, ac eruditis etiam Sinicè evidenter judicavit oppoſita probabiliorem? quomodò auſus eſt idem Reverendiſſimus Sacram Congregationem ſaltem indirectè accuſare gravis imprudentiæ, quòd auditis Patris Martinii rationibus, iiſque multùm diſcuſſis, conſtituerit Decretum dicti Patris opinioni, praxique conforme? Quid dico indirectè accuſare? Quid Sacram Congregationem ſolùm appello? dicam igitur quod re eſt: Quomodò auſus eſt Reverendiſſimus, reformato illo Sacræ Congregationis Decreto, ab Apoſtolica Sede approbato ipſam Sanctam Sedem non minùs quàm Sacram Congregationem cum Patre Martinio damnare?

Reſpondeo quintò: Non ſolùm ex reverentia, ac ſtudio pacis liberè

berè permiſſum eſſe, oppoſitam ſententiam dici probabilem, ſed etiam ex eo quòd in caſu præſenti videbatur inutile expendere ſcrupuloſiùs, utra eſſet probabilior. Hoc enim ſemel poſito, quòd Societatis ſententia eſſet certò probabilis, videbatur certum juxtà Sacræ Congregationis mentem non debere claudi januam ſalutis innúmeris Sinis, quos à fide longè removebat praxis, atque opinio contraria.

Noſtri enim Miſſionarii, inprimiſque P. Martinius, in Decreto 1645. ab Apoſtolica Sede quoque approbato, legebant ad quæſitum tertium Reverendiſſimi Patris de Morales Dominicani, eſſe à Sacra Congregatioue reſponſum, *inquietari Sinas non debere*, ſi quid in mutuo ſuprà ſortem, non quidem ratione mutui præcisè, accipiant, ſed ratione periculi probabiliter imminentis: At certum eſt non eſſe plus quàm probabile poſſe in mutuo accipi aliquid ſupra ſortem

ſortem ratione talis periculi: Certùm ergo videbatur ſufficere, ut non inquietarentur Sinæ circa ritus, ſi probabiliter conſtaret ritus hujuſmodi eſſe ſolùm politicos, maximè cùm in noſtro caſu non agatur de quæſtione juris, ut in uſura, ſed de mera quæſtione facti, nempe an ex inſtitutione, & mente Sinarum, hac de re benè inſtructorum, ritus illi ſint tantùm civiles, atque politici.

Hoc enim dato, quòd conſultis libris claſſicis, interrogatiſque Sinis doctis, ac probis tam Chriſtianis, quàm Gentilibus, & his quidem benè multis, eſſet benè fundata, ac ſolida ſententia de ritibus illis ſolùm politicis, certum videbatur longè minùs inquietandos eſſe Chriſtianos Sinas ob iſtiuſmodi ritus, quàm ob acceptam ratione periculi pecuniam in mutuo ſuprà ſortem. Hoc autem eſt eò magis indubitatum, quò certiùs conſtat ritus illos nunquàm adhiberi à Chriſtianis, niſi ut merè civiles,

civiles, atque politicos. Itaque Pater Brancatus, aliiqne ſapienter abſtinuerunt à contentione illa, utrùm adverſariorum ſententia eſſet necne probabilis; eſſet necne probabilior: id enim in præſenti caſu erat inutile. Unde in conventu Cantonienſi, ubi cum Societatis Patribus aderant quoque ex ſacris Sancti Dominici; Franciſcique Ordinibns Miſſionarii, prudentiſsimè conſtitutum eſt, permittendos eſſe ritus circà Confucium, & Progenitores; cùm ſit ſententia valdè probabilis, illos eſſe tantùm politicos, ideoque non eſſe propter eà januam ſalutis innumeris Sinis claudendam, quibus verè illis prohibitis clauderetur.

Imò agnoverunt, eo ipſo quòd ſit hujuſmodi ſententia valdè probabilis, non fuiſſe à Patre Martinio malè informatam Sanctam Sedem, ac proindè tuto ſtandum eſſe Pontificio Decreto tales ritus permittente. Non videtur ergo at-

attigiſſe ſenſum ſtatuti Cantonienſis Reverendiſsimus Dominus Maigrot, nec de iſtis ſat Thologicè diſſerere.

Si ergo ſufficit ſententiam Patris Martinii de hac quæſtione facti eſſe certò probabilem, ut non poſſit, niſi immeritò, accuſari de mala Sanctæ Sedis informatione, quid ſentire debet Curia Romana de Reverendiſſimo Domino, qui prædictum Patrem in conſpectu Urbis, & Orbis infamat, propter expoſitam Sacræ Congregationi ſententiam, quam non modò probabiliorem oppoſitâ, ſed etiam evidenter probabiliorem tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco, non minùs ipſe credidit ac probavit, quàm Reverendiſſimus Pater Sarpetri ex Ordine S. Dominici? unde non mirum ſi à Sacra Congregatione, & à Sancta Sede obtinuit hoc Decretum; quod tantoperè Reverendiſſimo diſplicuit.

Reſpondeo ſextò: Eò prudentiùs conſtitutum eſſe à Sacrâ Congre-

gregatione, & à Sanctâ Sede approbatum hoc Decretum ad quæſita P. Martinii, quòd jam tunc ſatis advertit nullum eſſe ne leviſſimum quidem non modò formalis, ſed nec materialis ſive Idololatriæ, ſive ſuperſtitionis periculum in ritibus illis circà Confucium; & Progenitores adhibendis: obſervando propoſitas à Martinio Sanctæ Sedi cautiones, ideòque præſentem hanc quæſtionem longè omninò eſſe diverſam ab iis, quæ circà licitum, & illicitum quotidiè inter Theologos in utramque partem diſputantur. In his enim, qui Divi Thomæ opinionem ſequitur, v. g. de damnando per Judicem innocente ſibi privatim cognito ut tali, ſed ſecundùm leges, & forum externum accuſato, in his, inquam, fieri poteſt ut Judex iſtiuſmodi materialiter ſaltem peccet, ſi falſa eſt Divi Thomæ ſententia. At in noſtro caſu certum eſt Sinenſium ritus reſpectu Chriſtianorum nec debere

bere dici, nec poſſe, nec materialiter quidem, ſive ſuperſtitioſos, ſive idololatricos, multò minùs, formaliter, ut alibi oſtenderetur; & jam probatum eſt in præliminari quæſtione.

Hoc reſponſum Sacræ Congregationis anni 1645. de *non inquietandis Sinis, ſi quid in mutuo ſuprà ſortem accipiant, ratione periculi probabiliter imminentis*, merè torquet, atque exagitat Dominum Charmot. Videt enim inde clarè ſequi, nec inquietandos eſſe propter cæremonias, quas longè probabilius eſt eſſe ſolùm politicas, quàm ſit probabile licitè aliquid accipi poſſe in mutuo ſuprà ſortem, ratione talis periculi. Videamus ergo quid reſpondeat.

Primò. *Quàm debile ſit*, inquit, *atque infirmum probabilitatis fundamentum in hac materia, ubi agitur de rebus ad Summam Religionis pertinentibus, & quæ primo Decalogi præcepto, hoc eſt Lege di-*

divinâ naturali prohibentur, fusè in priori meo ſcripto oſtendi. Quam parùm Theologicè de probabilitate is diſſeruerit, alibi dictum: ſtemus nunc in caſu propoſito à P. Joanne Baptiſta de Morales Dominicano.

Eſt quæſtio de uſura, quæ prohibita eſt jure divino naturali: ac proindè de peccato mortali agitur contrà jus divinum, & naturale, ideòque de æterna damnatione. Quæritur an ſint inquietandi Sinæ, qui ratione periculi aliquid ſuprà ſortem accipiunt?

Reſpondet Sacra Congregatio non eſſe inquietandos: non eſt tamen pluſquàm probabile hoc eſſe licitum: ergo in materia ſalutis, cum aliquid conttoverſum eſt circà licitum, & illicitum, non judicat Sacra Congregatio, ſicut Dominus Charmot, inutilem eſſe, multò minùs perniciosam, benè fundatam probabilitatem.

Secundò. Sic pergit Dominus Charmot. *Quæ verò hic afferuntur ex Decreto anni 1645. de non inquie-*

quietandis Sinis, *qui aliquid in mutuo ultrà Sortem accipiunt*, *ratione periculi probabiliter imminentis*, *nihil prorsùs ad rem faciunt*. Sic imponunt non doctis, ſed imperitis, qui ſe conſtringi ſentiunt, & ad anguſtias redigi. *Hæc nihil*, inquit, *prorsùs ad rem faciunt*.

Tertiò. Cauſam reddit: hanc expende, Vir Nobiliſſime; *Neque enim*, inquit, *Sacra Congregatio ex probabilitatis regulis ſic reſpondit*, *ſed in propoſito caſu juxtà circumſtantias in dubio expreſſas*, *quid Miniſtris Evangelii tanquàm verum*, *ac rectum ſequendum eſſet*, *præſcripſit*. Ira Domiuus Charmot. Sed quæro an ſit certum, quod in dicto caſu licitè poſſit aliquid accipi ſuprà ſortem? Contrà reclamabunt multi Theologi non ſeveriores tantùm, ſed & alii illud eſſe illicitum: ergò ſaltem certò conſtat contrarium non eſſe certum: ergò erit ſolùm probabile: ergò Sacra Congregatio ex probabili-

bilitatis regulis reſpondit. Nihil minùs, inquit Dominus Charmot, ſed *præſcripſit quid ſequendum eſſet tanquàm verum & rectum*. Iterùm quæro, an ſit certò verum, an ſolùm probabiliter verum id licere quod petitur. Si certò verum dixerit, habet reclamantes omnes Theologos, etiam eos qui id verum exiſtimant; quantò magis eos, qui falsùm hoc eſſe credunt. Si probabiliter ſolùm verum: ergo Sacra Congregatio non adeò dedignatur probabilitatem, ac Dominus Charmot.

Quartò. Progreditur ulteriùs. *Ut omittam*, inquit, *longè diverſam eſſe uſuræ, atque Idololatriæ rationem*. Eſt ſpecie diverſum uſuræ, atque Idololatriæ crimen, & hoc quidem illo gravis: Sed in ordine ad propoſitam quæſtionem, non eſt diverſa ratio utriuſque: Nam primò, quod certò conſtat uſurarium eſſe, non eſt minus illicitum, quàm quod certò conſtat eſſe idololatricum. Secundò. Si li-

citum eſſe poteſt quod eſt certò probabile, non eſſe uſurarium; licitum & erit quod eſt certò probabile non eſſe idololatricum. Tertiò. Si verò hoc ſecundum eſt in dicto caſu illicitum, erit omninò & primum. Itaque, quòd hoc, eſt omninò eadem ratio utriuſque. Undè vel propter utrumque ſunt inquietandi Sinæ, vel propter neutrum.

Quintò. Sic rursùm Dominus Charmot. *Etſi enim*, inquit, *uſura Legi divinæ naturali contraria ſit, unde etiam ſtatim id Decretum ſeveriſſimè eam apud Sinas etiam damnat; tamen cùm mutuum ſæpè in alios contractus, videlicet ſocietatis, emptionis, & venditionis, aut dotalis conſtitutionis tranſeat, atque ei nonnulli aliundè tituli ad aliquid ultrà ſortem accipiendum accedant, quod à jure civili plerumque pendet: Eccleſiæ Paſtores, & Confeſſarii in pleriſq; his caſibus Fidelium conſcientias non eſſe inquietandas prudenter iu-*

di-

dicant. Hæc Dominus Charmot, quæ ſi quis Theologos legerit pronunciabit illicò, ea nihil prorsùs ad rem facere.

Nam primò. Quod *uſura Legi divinæ naturali ſit contraria*, nihil in præſenti caſu juvat cauſam Domini Charmot: hanc è contrario pejorem reddit, uti mox patebit.

Secundò. Quòd mutuum ſæpè in alios contractus tranſeat, quid hoc ad rem? non eſt quæſtio de venditione, de ſocietate, &c. Sed de mutuo. Quæritur an liceat *in mutuo accipere aliquid ſuprà ſortem, ratione periculi probabiliter imminentis*. Extrà chorum ergo ſaltat Dominus Charmot, aberrat à via, mutat ſtatum quæſtionis.

Tertiò. Rursùm quòd ſint nonnulli tituli aliquid ſuprà ſortem ſine uſurâ exigendi, verbi causâ, lucrum ceſſans, aut damnum emergens, quid iſtud iterùm ad rem? Quæritur an periculum ſortis pro-

babiliter imminens reponi poſſit inter legitimos iſtiuſmodi titulos? multi Theologi id affirmant: multi negant.

Quartò. Non pendet à jure civili quæſtio de qua agitur: eſt tota circà jus naturæ: An ſit hoc naturæ jure prohibitum: an licitum, nempe ſuprà ſortem ſumere aliquid ratione periculi. Multa hic loquitur Dominus Charmot; nihil ad rem.

Quintò. Benè quidem, quòd *Eccleſiæ Paſtores, & Confeſſarii in pleriiſque his caſibus Fidelium conſcientias non eſſe inquietandas prudenter judicent*. Sed in noſtro caſu an id prudenter judicant? Si ita eſt: prudenter agunt tam Confeſſarii, quàm Paſtores cùm in rebus controverſis ſequuntur probabilia: non eſt enim pluſquàm probabile id eſſe licitum, quod quærebatur de Sinis in mutuo: Si in propoſito caſu id judicari prudenter non poteſt: erravit igitur Sacra Congregatio: erravit

ravit Pontifex, & quidem in jure, & in jure naturæ, in ſuis reſponſis ad quæſita Patris de Morales Dominicani. Quid ad hoc Dominus Charmot?

Sextò. At *de Idololatria*, inquit, *quæ Religioni capitaliter adverſatur, aliter cenſendum eſt*. Reſpondebat paulò ſuperiùs Dominus Charmot Sacram Congregationem *præſcripſiſſe, quid à Miniſtris Evãgelii tamquàm verum, & rectum ſequendum eſſet* in hoc caſu de uſura? Quid poteſt amplius exigere in caſu Idololatriæ? modò præſcribat quid verum ſit & rectum, num ſufficit? Cur ergò aliter cenſendum eſſe pronunciat Dominus Charmot, cùm de Idololatria agitur? Non quòd *Religioni capitaliter adverſetur*, hinc ſequitur quidem, majori adhuc odio proſequendam eſſe Idololatriam, quàm uſuram: non infertur tamen excuſari Sinas ab uſura, ex eo quòd ſit probabile non eſſe uſurarium ſumere aliquid ultrà ſortem ratione

periculi, ſi non excuſentur ab Idololatria, quandò longè probabilius eſt, ne quid dicam magis, ritus quos adhibent eſſe ſolùm politicos.

Septimò. Si quid autem in utroque caſu diverſitatis eſt, id pro uſura prohibenda facit: Nam aliquid ſuprà ſortem accipere ratione periculi, ſi malum eſt, eſt jure naturæ malum, & illicitum: At verò ritus, de quibus agitur, ex ſe ſunt indifferentes, nec inſici poſſunt, niſi ex publica, ac communi Sinarum intentione, quàm ubi certò probabile eſt non eſſe perverſam, certum eſt illicitos non eſſe ritus, multò minùs idololatricos reſpectu Chriſtianorum.

Octavò. *Sed Fideles*, inquit, *ita arcendi ſunt ab idololatria, ut ab iis etiam actibus abſtinere debeant, in quos vel ſola Idololatriæ ſuſpicio cadit.*

Reſpondeo primò. Non eſſe aliter arcendos Fideles ab Idololatria, quàm à ſacrilegio, ab uſurâ,

râ, ab impudicitiâ, atque ab aliis ſceleribus, quibus graviter Deus offenditur, niſi quatenùs unum alio crimen majus cum ſit, magis quoque eſt fugiendum: ſunt autem omnia ſimpliciter fugienda.

Reſpondeo ſecundò. Summè arcendos eſſe Fideles ab actibus, quos vel idololatricos eſſe conſtat, vel impudicos, vel uſurarios, vel alio modo illicitos; adeò ut ſummè execrentur vel leviſſimam Idololatriam, malintque mori millies, quàm, non dico ſacrificare v. g. Jovi, quod Idolum eſſe conſtat, ſed nec ei vel leviſſimum honorem exhibere: eſſet enim illud grave ſcelus.

Reſpondeo tertiò. Non eſſe arcendos tanquàm ex præcepto ab actibus, in quos nonniſi temeraria, & imprudens mali ſuſpicio cadit, ſive malum illud ſit Idololatria, ſive uſura; chimericum enim hujuſmodi præceptum eſt, & eſt injicere laqueos conſcientiis.

Reſpondeo quartò. Non eſſe ar-

cendos tanquàm ex præcepto ab actibus, quos poſt ſufficiens examen longè probabilius eſt ex nullo capite eſſe illicitos: quandò nempe quæſtio ſolùm eſt de licito vel illicito, non autem de valido vel invalido; ſi præſertim valor à judiciis noſtris non pendet: qualis eſt Sacramentorum valor. Quod enim hoc modo probabilius eſt, prudenter cenſetur abſolutè verum.

Reſpondeo quintò. Sacram Congregationem judicaſſe non eſſe inquietandos Sinas, qui ſupra ſortem aliquid ſumerent, propter periculum probabiliter imminens.

Reſpondeo ſextò. Longè adhuc probabilius eſſe ritus Sinenſium erga Confucium Philoſophum, & Progenitores mortuos nihil habere idololatricum, cùm certum ſit illos apud Sinas etiam Gentiles Litteratos non eſſe Idola; imò neque quoàd ſubſtantiam ſuperſtitioſos eſſe, cùm non multò minùs certum ſit illos non coli propter dotes ſupra naturam illis à Deo con-

conceſſas; ſed illum ut Imperii Magiſtrum, à quo doctrinam: hos autem ut Parentes, à quibus vitam acceperunt.

Reſpondeo ſeptimò. Graviſſimis exponere ſe periculis peccandi contrà charitatem Dei, & proximi, contra præceptum prædicandi Gẽtibus Evangelii, qui Fidei claudunt januam, & ſalutis innumeris hominibus, prohibitione rituum, qui cum tanto fundamento judicari poſſunt innocentes. Videat jam Dominus Charmot, quid illorum omnium velit?

Tandem ſic ille concludit. *Quid igitur de iis actibus exiſtimandum, qui ſi fideliter exponantur, ſtatim idololatrici, ac ſuperſtitione pleni inveniuntur?*

Reſpondeo primò. Parùm fideliter expoſitos eſſe ritus illos à Domino Charmot: In iis enim exhibendis proponit legentiũ oculis, & menti Sacrificiuñ Confucio, Majoribuſque oblatũ: offerentem Sacerdotem: Miniſtrantes Diaco-

conum, & Subdiaconum: victimam immolatam: & alia hujuſmodi, quæ ſunt falſiſſima. Non ergo mirum, ſi ritus Sinenſes ita expoſiti ſtatim appareant idololatrici.

Reſpondeo ſecundò. Parùm fideliter exponi ritus Sinenſium externos ab eo, qui ſimul non exponit internam eorum mentem in colendo Confucio, atque Progenitoribus, non quidem tanquàm Diis, ſed nec ob aliquas dotes ſuprà naturam illis à Deo conceſſas, ſed illo tanquàm Magiſtro ob doctrinam, illis tanquàm parentibus ob vitam acceptam, qualeſcumque tandem ipſi fuerint, dum viverent, ſive probi, ſive improbi.

Reſpondeo tertiò. Parùm quoque fideliter exponi cæremonias adhiberi in China ſolitas erga Confucium, & Majores, cùm non exponitur, pleraſque illarum adhiberi quoque à Sinis erga viventes, juxtà genium iſtius gentis, ſuprà cæteras omnes cæremoniis de-

deditæ, in adventu Mandarinorum, Hoſpitum, &c. in conviviis ſolemnioribus, &c. Qui enim moniti v. g. fuerint coràm adveniente hoſpite ceram accendi in menſa parata, incendi odores, genuflexiones fieri, atque profundas ad terram uſque inclinationes; imò non hoſpiti ſolùm reverentiam haberi, ſed & muneribus ei oblatis, ſive ſint Sues, ſive capræ, ſive cervi; Quin etiam aliquandò coràm eodem hoſpite, honoris causâ, hæc animalia occidi: Qui, inquam, de hujuſmodi ritibus admoniti primùm erunt in hoc caſu, ut manifeſtum eſt, merè civilibus, certi aliundè non coli à Sinis Confucium, niſi ut Magiſtrum Imperii ob doctrinam: non coli Majores, niſi ob vitam ab illis acceptam, hi ſtatim non invenient ritus, ac cæremonias, quibus hi coluntur, eſſe idololatricas: ſed de his ſuo loco.

Interim relege, Vir Nobiliſſime, quæ in hoc loco Dominus Charmot

mot reſpondit obſervationum Authori, & judica an poſſit cenſeri reſpondiſſe.

Dicit quartò. Reverendiſſimus, ideò P. Martinium malè informaſſe Sanctam Sedem, quia iis, quæ ab illo relata ſunt, aut ſaltem pleriſque nec vel umbra ſuperſtitionis ineſt. Hæc objecta ſuperiùs à Procuratore Reverendiſſimi Domino Charmot, cùm ſint ſatis multa confutata, non repeto. Legantur ſolùm quæſita Patris Martini: legantur reſponſa Sanctæ Sedis; mirum videbitur exprobrari Patri Martinio ſic eſſe ab illo Sinenſium ritus Sacræ Congregationi propoſitos, ut non indicarit vel umbram ſuperſtitionis ineſſe. Quod evidenter falſum eſt. Et verò reſpondit Sancta Sedes *permitti poſſe Chriſtianis hos ritus, ſublatis tamē ſuperſtitioſis; quæ*, ex P. Martinio, *acceſſerant*. Addit Sancta Sedes, *aſſiſtere poſſe Chriſtianos cum Gentilibus, etiam cum agunt ſu-*

per-

perſtitioſa, adhibẽdo cautiones, quas propoſuerat in hoc caſu P. Martinius. Facta eſt ergo mentio ſuperſtitionum.

Hinc igitur rursùm falsò accuſatur P. Martinius: ex falsâ igitur tantùm accuſatione vir religioſus, & innocens immeritò condemnatur: ex injuſta ergo ſolùm Patris Martinii condemnatione, contrà jus, & æquum, Alexandri Septimi Decretum reformatur.

Dicit quintò. Reverendiſſimus, P. Martinium non explicuiſſe Sacræ Congregationi in cærimoniis defunctorum, exponi tabellas, quæ dicuntur *Sedes animæ*, ſive *ſpiritous*; ideòque illas exponi, ut in eas veniant Spiritus; ac multa fieri quæ Spiritus præſentes eſſe ſupponant. Quàm ſit levis, quàm nulla, quàm falſa hæc ratio ad damnandum P. Martinium, Sacræ Congregationi mox patebit.

Reſpondeo ergo primò negando P. Martinium iſta tacuiſſe. Reverendiſſimus non probat: nam quòd

iſta

iſta Decretum in ejus gratiam conſtitutum non contineat, inde non ſequitur diſſimulata fuiſſe à Martinio, qui plurium menſium ſpatio, quibus Romæ propter illam cauſam commoratus eſt, tam multa alia & ſcripſit & dixit circà Sinenſium ritus. Vidit ne Reverendiſſimus grande illud volumen Sacræ Congregationi oblatum, de quo P. Intorcetta, ejus Romæ tunc ſocius, reddidit teſtimonium?

Reſpondeo ſecundò. Eſſe prorsùs indubitatum hæc à P. Martinio, & relata eſſe, & explicata. Enimverò retulerat iſta R. P. Joannes de Morales, ut apertè conſtat ex Decreto anni 1645. quod fuit inſertum Decreto anni 1656. hæc igitur Sacra Congregatio habebat præ oculis. Oportuit ergo confutari à Martinio, vel explicari: cùmque favens obtinuerit Decretum, neceſſe eſt probatum fuiſſe Sacræ Congregationi Patris Martinii ſive confutationem, ſive explicationem.

Sa-

Sanè probatum eſt, ni fallor, efficaciter ſuperiùs, graviorem Sacræ Congregationi injuriam à Reverendiſſimo fieri, quàm ipſi Patri Martinio, cùm videtur ſupponere conſtitutum ab ea Decretum anni 1656. vel abſque prævio, aut ſufficienti examine, vel, ſi poſt ſufficiens examen, ex injuſta approbatione ſententiæ Patris Martinii, quæ ex Reverendiſſimo debuiſſet reprobari. Certò conſtat in præſenti caſu tabellarum, de quibus ea legebat Sacra Congregatio quæ dixerat R. Pater de Morales, improbari omninò non poſſe quod conceſſit Patri Martinio ſine injuriâ Sacræ ejuſdem Congregationis; quæ, ſi ipſe tacuiſſet, quod falſum eſt, de re obvia, & ob oculos ſuos poſita hunc interrogare debuit.

Reſpondeo tertiò. *(s)* Cum Reverendiſſimo P. Sarpetri Dominicano potuiſſe facillimè Martinium Sa-

(s) *In ſuo tractatu relato à Patre le Tellier in 2. tom. 7. 289. 280.*

Sacræ Cōgregationi ſatisfacere circà uſum tabellarum. Nam cum ex Decreto anni 1645. uſus ille permiſſus fuiſſet, modò tabellæ non collocarentur in altari propriè dicto, etſi affirmaſſet Pater de Morales vocari *Sedes animæ*; illis ſacrificia offerri, &c. Quantò faciliùs uſum illum permiſiſſet, ſi audiſſet jam nunc menſas illas, in quibus ponuntur, non eſſe vera altaria; ritus, & cæremonias adhiberi ibi ſolitas, non eſſe ſacrificia; tabellas inſcriptas locum tenere ſolùm Imaginum, conſtareque non dici *Sedes animæ*, niſi impropriè, & metaphoricè.

Reſpondeo quartò. *(t)* Reverendiſſimum in iſtis ritibus perpetuò ſibi contradicere. Docet enim litteratos omnes Sinas tàm antiquos, quàm modernos eſſe verè, ac debere dici Atheos: ac proindè nec agnoſci ab illis Deum, nec Spiritum, nec animam immortalem.

Quo

(t) *Vide obſervationes in* §. *cum caput.*

Quo igitur modo ſibi fingit, ut accuſet Martinium, juxtà Sinarum perſuaſionem, ac fidem, Confucii ante duo annorum millia mortui Spiritum, Spiritus quoque Avorum, & Atavorum pridem defunctorum in dictis tabellis reſidere, advocari, præſentes ſiſti? Quàm ſint iſta contradictoria nullus eſt Tyro qui non apprehendat.

Sed his indigebat Reverendiſſimus, ad infamandum toto Orbe Chriſtiano, & maximè Romæ, Martinium. Romam non cognoſcit Reverendiſſimus: non ſic Romæ imponitur. Roma movetur ſolidis rationibus, non injuriis, præſertim tam manifeſtis. Cujus corpus tandiù Deus ſervavit incorruptum, hujus famam tam injuſtè maculatam Roma vindicabit.

Dicit ſextò Reverendiſſimus, P. Martinium nihil retuliſſe Sacræ Congregationi de ſolemni vel oblatione, vel ſacrificio, quod ſingulis annis ſemel ac iterùm offerri ſolet Confucio: ergo malè in-

formavit Sanctam Sedem. Infirmum prorsùs ac debile accuſationis fundamentum!

Reſpondeo ergo primò ut anteà, negando, & pernegando antecedens. quod probabit nunquàm Reverendiſſimus; illius falſitas maniſeſtiùs patebit, ſi Sacra Congregatio præcipiat volumen illud Sinenſium rituum inquiri, quod à Patre Martinio oblatum eſt.

Reſpondeo ſecundò. Reverendum P. de Morales de utraque hac ſolemnitate Confucii multa retuliſſe, & in iis falſa non pauca, quæ vir pius, ſed nondùm inſtructus, vera reputabat. Hæc Sacra Congregatio legebat in Decreto anni 1645. hæc legebat Martinius: fieri igitur neutiquàm potuit, quin & Martinium circà iſta interrogaverit, & interroganti Martinius ita reſponderit, ut ſatisfaceret: cùm Martinii quæſitis Sacræ Congregationis reſponſa tam bellè ad votum dicti Patris concordarint. Injuriam Sacræ Congregationi facit, ut dictum eſt, qui aliter ſentit. Re-

Reſpondeo tertiò. Id ſolummodò conſtare Patrem Martinium nihil circà duplicem hunc ritum quæſiiſſe, nihil Sacram Congregationem reſpondiſſe.

Ratio prima eſt, quòd nemo Litteratorum in Sina cogitur his adeſſe ſolemnitatibus; ac proindè nulla ſit omninò aſſiſtendi neceſſitas. Ea ſola Martinius poſtulavit, quæ juxtà Sinarum Leges, atque conſuetudines obſervare planè debent Neophyti: ut ſciret ex iis quid licitum, quid illicitum.

Ratio ſecunda eſt, quòd Miſſionarii noſtri ſuis Neophytis non permitterent his adeſſe cæremoniis: non quòd putarent ex ſe illicitas eſſe, ſive ſuperſtitioſas quòad ſubſtantiam, ſed quia cùm poſſint Neophyti ſine diſpendio vel honoris, vel bonorum, ſine periculo vel Religionis exponendæ, vel etiam charitatis violandæ hinc abeſſe, cenſerunt eſſe meliùs à fovenda cum Infidelibus conſuetudine, licèt innocenti, quantùm poteſt com-

modè fieri, illos amovere. Nihil ergo neceſſe fuit quidquam circà ea poſtulare.

Ratio tertia eſt, quòd reſponſa Sacræ Congregationis circà defunctorum cæremonias data P. Martinio ſufficiunt pluſquàm abundè, ad dirigendos circà illos ritus Confucii Neophytos, ſi quo caſu contingeret illorum aliquem propter ſpeciales cauſas intereſſe his debere. Tunc enim intelligeret adhiberi à ſe tantùm poſſe politicos ritus, ſublatis, ſi qui accederent, ſuperſtitioſis: ſeque teneri ad ſolemnem proteſtationem, ſi fortè agerent, ſe præſente, Infideles ſuperſtitioſa quædam.

Quòd autem affirmet Reverendiſſimus, falſum eſſe quòd Jeſuitæ non permittant ſuis Neophytis, iis ſaltem Præfectis, quibus id ex officio incumbit, his ritibus, quos ſacrificia vocat, intereſſe; petatque, quâ fide R. P. Michael le Tellier id negavit, idem R. P. libenter refert, ut deinde viciſſim appareat

quâ

quâ fide Reverendiſſimus malam ipſi fidem ea in re objiciat.

Reſpondet igitur P. le Tellier (u) teſtes habere ſe hujus dicti non modò Jeſuitas (quorum tamen fides in hac re ſuſpecta eſſe non poſſet) verùm Reverendos Patres Dominicanos; neque illos ſolùm, qui nobiſcum in cæteris ſenſerunt, ſed Reverendiſſimum Navarrettam, quo nemo duriùs in Societatem Sinenſem invectus eſt.

Ad Jeſuitas, inquit, *quod ſpectat, res ipſa per ſe loquitur. Anni ſunt plus minus ſexaginta, ex quo ſuper Confucii, & mortuorum oblationibus, velut æquè illicitis, ac ſacrilegis incuſati, uno omnes ore conteſtati ſunt, poſteriores ſemper à ſe toleratas fuiſſe, priores nunquàm. Quis autem non videt aut negaturos pariter de utriſque, ſi mentiri vellent, aut pariter confeſſuros, ſi verum foret? cum neque cauſa, neque facultas ipſa verum occultandi ſuppeteret. Non cauſa; quid enim iis*

(u) *P. le Tellier in ſcripto reſponſo.*

iis prodeſſet alterum diſſimulare, dum alterum ejuſdem planè generis ultrò profitebantur ? Et ſatis conſtabat nihil magis ſuperſtitioſa judicatum iri Romæ quæ Confucium, quàm quæ mortuos ſpectant ; ſed æque utraque aut approbanda illic, aut improbanda eſſe. Non *facultas ; cùm ſpes nulla eſſet rem latere diù poſſe, tam multorum oculis in omnia illorum intentis, & ea etiam videntibus, quæ non vident.*

Sed ut mittamus Jeſuitas, quid reſpondebit Reverendiſſimus his Dominicanis, à quibus conſultus fuit Reverendiſſimus P. Joannes de Paz, (x) *diſertè affirmantibus Litteratos non aſſiſtere, ei, quod iſti vocabant, Confucii ſacrificio ? Quid item P. Dominico Sarpetri* (y) *ſæpiùs à nobis commemorando, cujus diſerta eſt ejuſdem rei teſtificatio ? Quid denique P. Navarrettæ, quem nullus, opinor, ſuſpicabitur in gratiam Jeſuitarum mentitum eſſe?*

Iſ

(x) Reſp. fol.297. 193.

(y) Def. des N. C. to.2. p.278.

Is autem non ſolùm in Epiſtola Patri Antonio de Govea (z) *noſtro in Sinis Vice-Provinciali tradita die Septembris 29. anno 1669. idipſum expreſsè agnoſcit, ſed in multis aliis locis. Damus ipſa hominis verba ex quatuor ſecundi tomi locis deprompta.*

Pag. 11. *col.* 2. Que en China, no ſon ſacrificios. "

Pag. 369. *col.* 1. *num.* 13. Es gran frialdad despues de 40. años minima noticia. "

Pag. 390. *col.* 1. La malicia, no entiendo eſtas conciencias cauterizadas. "

Pag. 453. *col.* 1. Damos muchas gratias a los RR. PP. de la Compañia por eſta buena obra que han hecho (*probibendo oblationes illas Confucio fieri*) y majores ſe las dieramos ſi nos huvieran participado eſto treinta años ha. "

Eſt hic quidem inſignis defectus in Navarretta vel veracitatis, vel me-

V jv

(z) Defenſ. to. 1. p. 157. edit. 4.

memoriæ, quòd Jeſuitas dicat nihil tale anteà reſpondiſſe; poſtquàm ille ipſe in eadem illa pagina 453. verſibus proximè antecedentibus, hæc verba retulerat ex Apologia Patris Didaci Morales jam ab an-„ no 1641. edita: Los de la Com-„ pañia no permitten à ſus Chri-„ ſtianos que ofreczan al Confu-„ cio coſas de comer, ſedas, &c. „ como hemos dicho; ni mucho „ menos que guarden las ſobras „ de tales coſas; como affirma el „ P. Hurtado Vice-Provincial des „ pues de grande examen. *En quàm delicatus erat in illo homine ſenſus conſcientiæ, qui cauteriatam ajebat Jeſuitarum conſcientiam. Ut hoc in eos convicium jaceret, fingere libuit reticuiſſe illos ad eam diem præ malitia reſponſionem hujuſmodi, quam ex eorum Apologia ante quadraginta annos exarata ipſe exhibet.*

Sed ut ad Reverendiſſimum Dominum Maigrot redeamus, ſi quærere pergas, quâ fide P. le Tellier

ex quorundam teſtimonio *negaverit conſenſiſſe unquàm noſtros, ut Chriſtiani Litterati ad ſolemnes illas Confucii oblationes concurrerent; quæremus nos viciſſim, quâ fide ipſe eorum nomina tacuerit, quorum teſtimonio nixum illum eſſe cernebat; iſtorum dico Dominicanorum, atque inprimis Navarrettæ, quem vel unum ſi appellaſſet, continuò quivis intelligeret, quàm procul non ſolùm à malæ fidei, ſed etiam à temeritatis periculo defenſionis Author fuerit. Quâ fide, inquam, potuit Reverendiſſimus Dominus Maigrot vagâ illâ loquendi ratione*, ex quorumdam teſtimonio *optimè ſibi nota iſtorum nomina reticere, ut iis diſſimulatis, P. le Tellier malæ fidei inſimulare poſſet, utique non auſurus, ſi hos vel leviter indicaſſet.*

Porrò ne quid hic à nobis diſſimulatum ipſe cauſari queat, ſcimus Navarrettam, dum reſponderet Apologiæ Patris le Favre, oblitum, quod toties tam diſertè aliis in

locis

locis faſſus erat ; illud ipſum negaſſe, ac, ſi Superis placet, refellere etiam voluiſſe iiſdem ratiunculis, quas ex illo mutuati ſunt primùm Author Moralis practicæ Jeſuitarum, deindè Reverendiſſimus Dominus Maigrot. Sed quis conjecturis, & argumentibus locus adversùs tam aperta, tam parùm ſuſpecta teſtimonia? Iſtud verò Navarrettæ, quid aliud oſtendit, niſi in hoc homine nihil fuiſſe non ſolùm fidei, ſed ne in ejus quidem, quo mentientes maximè indigent, hoc eſt, memoriæ.

Quid quod novum illud figmentum, & quæcumque ad id aſtruendum confinxit, non apud Sinas, ut videri voluit, ſed in Europa fabricatus eſt? Habemus præ manibus autographum ejuſce reſponſionis adversùs P. le Favre, in quo alia omnia loquitur. Nam pro longa illa, & aculeatâ diſſertatione, quam in edito libro legere eſt, hæc habet duntaxat: En el nu. 15. " dice que V.V. PP. nunca permit- "
„ tieron

„ tieron a los Letrados miniſtrar
„ ò aſſiſtir à las ſolennes oblacio-
„ nes del Confucio, por la raçon
„ que alli dà, con que eſtamos
„ unidos y uniformes en la practi-
„ ca. De que pues ſon y han ſido
„ las quexas que ſe han dicho y
„ eſcrito ſobre eſto.

Hæc ille ad 17. *diem Aprilis* 1669. *Qui deindè Septembri menſe planè ſibi ſatisfactum ſentiens ſuper reliquis, per illam Patris Brancati Apologiam idem quoque teſtantis, ſcriptum quod diximus obſignatum à ſe tradidit Patri Antonio de Govea; nec multò poſt fugâ elapſus Europam tenuit. Hic verò alius à ſe ipſo repentè factus, quæ deſtruxerat, rursùm ædificare aggreſſus eſt, negans quæ Cantone affirmaverat, affirmans quæ negaverat, idque, quod lepidius eſt, intrà paucas ſæpè paginas. Et hujuſmodi teſtes ſunt, ex quorum fide pendent narrationes Reverendiſſimi Domini Maigrot, & Domini Charmot de rebus Sinicis; quorum*

rum authoritatem ad ſingulas penè paginas, quandoque & periodos obtrudunt? Quo profectò Jeſuitis optabilius facere nihil poterant. Huc uſque P. le Tellier.

Ex dictis abundè patet, quàm parùm juris habuerit Reverendiſſimus in damnando ſolemniter de falſa informatione Patre Martinio: in accuſando malæ fidei Patre Michaële le Tellier; in reformando Apoſtolicæ Sedis Decreto.

Porrò quòd ſolemniores illi ritus erga Confucium ſint civilis cultus, ſaltem quoàd ſubſtantiam, non verò religioſus, probant ſatis fusè, & ſigillatim explicant Reverendiſſimus P. Sarpetri Dominicanus in tractatu ſuo, qui legitur in ſecundo tomo Reverendiſſimi. P. le Tellier, P. Franciſcus Brançatus, P. Dominicus Gabianus, P. Proſper Intorcetta, antiquus 40. annorum Miſſionarius, P. Franciſcus Xaverius Philippucius & alii, quorum opera contrà Reverendiſſimum Navarrettam ſolo pacis & concor-

diæ

diæ ſtudio hactenùs ſuppreſſa, brev edere cogetur Societas, ut Apoſtolicæ Sedi, Sacræ Congregationi, toti orbi Chriſtiano innoteſcat, quàm ſit levis, quam nulla eſſe debeat his in rebus Scriptoris illius authoritas, & fides; quà ferè ſola dum nititur Reverendiſſimus Dominus Maigrot, eo ipſo ſatis probat, quàm ſit peregrinus in Sinenſium litteris, ac ritibus; quàm parùm attentum ipſum Navarrettam legerit, ſi non adverterit plurimas in ejus opere, manifeſtaſque contradictiones, ut alia nunc omittam: ſi autem advertit, quàm injuſtè ex fide authoris hujuſmodi P. Martinium ſolemniter condemnaverit, velitque, aut velle ſaltem videatur totius Societatis famam maculare.

Intereà ſatis multa exponemus quoque & nos in obſervationibus quæ ſequuntur, ut jam intelligat Sacra Congregatio, quàm ſolidè fundata ſit Societatis praxis circà Confucium, & Progenitores; quàm ſic

ſit noſtra non modò probabilior, ſed & tutior, quàm remota ab omni planè periculo ſive ſuperſtitionis, ſive Idololatriæ non modò formalis, ſed etiam materialis; quàm ſit hæc conformis Sacræ Congregationis menti, & Apoſtolicæ Sedis Decretis; quàm deniquè ſit utilis, ac neceſſaria ad annunciandum Sinis Chriſtum, ad propagandam in tam vaſto Imperio fidem Catholicam, ad conſervanda, qui religiosè, ac piè jam ibi vivunt tot Chriſtianorum millia.

Dicit Septimò Idem Reverendiſſimus: malè negatum à Martinio fuiſſe, quòd locus, in quo honoratur Confucius ab omnibus Litteratis ad gradus litterarios adſpirantibus, non ſit templum propriè dictum, ſed Gymnaſium, ſeu Gymnaſii aula?

Hanc ſuggillat Martinii rationem; *nam*, inquit, *clauſa eſt omnibus præterquàm Studioſis*. Hæc ratio ſi cæteris à Martinio relatis adjunguntur vim ſuam habebit.

In Decreto Sacræ Congregationis legimus affirmatum à Martinio, *Sinas nullam defunctorum animabus concedere divinitatem; nihil ab illis ſperare, aut petere; in cæremoniis ergà Confucium pro gradibus nullum intervenire Sacrificulum, vel ex Idololatrica Secta Miniſtellum: nihil ibi fieri ab Idololatris inſtitutum; ſolos Studioſos, & Philoſophos convenire, Confucium tanquàm Magiſtrum agnoſcentes civilibus, & politicis ritibus; ex ſua prima inſtitutione ad merum cultum civilem inſtitutis: Graduandos omnes ſimul aulam Confucii ingredi, in qua eos expectant Cancellarii, Doctores, & Examinatores: ibi ſimul omnes ante nomen Philoſophi, nihil omninò offerendo, illas adhibere cæremonias, & inclinationes more Sinico, quas omnes diſcipuli faciunt ſuis Magiſtris vivis; atque ita, cognito Confucio Philoſopho pro Magiſtro, gradus accipere à Cancellariis, ac diſcedere.*

Hæc

Hæc omnia qui legerit à Patre Martinio relata, planè apprehendet aulam illam Confucii non eſſe propriè templum, ſed Gymnaſium, vel Gymnaſii aulam; nihil tamen prohibere quin metaphoricè dici poſſit Litteraturæ Templum; ut Templum Eloquentiæ, Templum Sapientiæ, Templum publici conſilii, hujuſmodi aulas, etiam nos ipſi vocamus. Vox enim *miao* non modò ſic ſumi poteſt, ſed propriè quoque ſignificat aulam palatii, ut fuit alibi explicatum. Nullum eſt dubium quin hæc fusè Martinius & voce & ſcripto Sanctæ Sedi explicuerit.

Quàm ſint hæc levia; quàm ſint nulla tam ſolemnis atque gravis ſententiæ contrà Patrem Martinium latæ, reformatìque Apoſtolicæ Sedis Decreti fundamenta, nemo, opinor, eſt, qui mirari vehementer non debeat. Miror ergo adhuc magis tam teneram, ac ſcrupuloſam Reverendiſſimi, qui his nugis moveatur, tam largam

contrà

contrà Jeſuitas, quos tam facilè condemnat, ejuſdem conſcientiam.

Dicit octavò Reverendiſſimus: ex relatione Reverendi Patris Antonii à Sancta Maria, P. Martinium anno 1659. poſt lectum privati alicujus librum, in quo videbatur Author ſupponere aliquid à Progenitoribus peti, ſperarique, *reſpondiſſe hanc corruptelam animas exorandi defunctorum introductam fuiſſe abhinc retrò trecentis annis: at præfatum cultum Proavorum ab antiqua ſui inſtitutione ſolummodò civilem, politicumque eſſe, mortuis inſerviendo ac ſi adhuc viverent*. Undè ſic concludit Reverendiſſimus. *Si ita R. Pater ſentiret, ſatiſne erat Apoſtolicæ Sedi generatim dicere? Sinæ à Progenitoribus nihil petunt, aut ſperant?*

Eſt ultimus hic Achilles Reverendiſſimi contrà falſam Martinii informationem. Sed quàm debilis! Quàm parùm Achilles!

Reſpondeo ergò primò. Hanc

 nar-

narrationem, quæ, ut modò videbitur, parum facit ad rem, referri à Reverendiſſimo, & referri tanquàm ab aliis acceptam, quos appellat viros ſide dignos, non tamen nominat. Cum in ea fundatam velit ſolemnem, quam tulit contrà P. Martinium, ſententiam, de qua apud Sanctam Sedem conquerimur; judicent ergo Eminentiſſimi Patres, an adverſario hæc narranti, & non probanti teneamur fidem adhibere? An iſtiuſmodi vaga narratio dare poſſit apud integerrimos Judices, vel leviſſimum iſti ſententiæ pondus? Nominare ſaltem debuerat viros illos: occurriſſet forſan aliquid, quod probaret eos eſſe teſtes non adeò legitimos. Ignoſcat ergo Reverendiſſimus, ſi nec ipſi, nec ignotis ejus teſtibus in cauſa præſenti fidem omnimodam adhibemus.

Reſpondeo tamen ſecundò propoſitionem illam (*Sinæ à Progenitoribus nihil petunt, aut ſperant*) eſſe

eſſe indefinitam, adeòque veriſſimam; etſi contingat aliquos ex Sinis per corruptelam, ut ait, aliquid petere, aut ſperare. Nam verè affirmari poteſt, & debet Catholicos nullam in ſacris Imaginibus agnoſcere virtutem, propter quam coli debeant. Hæc eſt Catholica Fides juxtà Tridẽtinum. Quis tamen dubitat, quin aliqui rudes Catholici, aut malè inſtructi aliter ſentiant? Horum error deſtruitne veritatem hujus affirmationis? Quotidiè adhuc dicimus ſolos olim Judæos unum coluiſſe Deum: fuerunt tamen identidem ex illis non pauci, qui Idola coluerint. Sunt hujuſmodi propoſitiones innumeræ, quarum veritati nihil nocet paucorum exceptio. Veriſſimè ergo Pater Matthæus Riccius Miſſionis Sinicæ Fundator, & poſt illum P. Martinius affirmarunt, Sinas in mortuis nullam Numinis partem agnoſcere: nihil ab illis petere, nec ſperare. Vana eſt igitur Reverendiſſimi objectio.

Lege quæſtionem præliminarem in Epiſt. ad Virum Nobilem : ibi demonſtratum invenies nec Confucium , nec Progenitores coli in China nec ut Deos , nec ut Sanctos.

Reſpondeo tertiò. Patrem Martinium , ne hoc quidem ſiluiſſe in ſuis quæſitis. Eo enim ipſo quòd petit à Sancta Sede in ritibus mortuorum ex prima inſtitutione merè politicis , prohiberi Chriſtianis quidquid ſuperſtitioſum acceſſit ; ſupponit aliqua interdùm ſaltem accedere. Eo ipſo quòd poſtulat fieri à Chriſtianis proteſtationem , cùm in hujuſmodi cæremoniis cõtingit Infideles ſuperſtitioſa peragere , num ſatis explicat quod volebat ab eo omiſſum Reverendiſſimus ? Intellexit Sacra id Congregatio : intellexit Summus Pontifex , quando definivit Chriſtianos adhibere poſſe illos ritus , ſuperſtitioſis ſublatis ; poſſe intereſſe , cùm Gẽtiles ſuperſtitioſa peragunt, pro-

proteſtando, & alias adhibendo cautiones.

Reſpondeo quartò. Dubitari omninò non poſſe, quin ſcripto & voce Martinius ſigillatim expoſuerit, quæ hîc in genere ſuperſtitioſa dicuntur; quando confutavit quæ R. P. de Morales anno 1645. malè ipſe informatus his de rebus, Sacræ Congregationi retulerat; illudque inprimis quod Sinæ peterent à mortuis, & ſperarent. Infrà videbitur in claſſicis Sinarum libris illud ipſum prohiberi, ne quid à mortuis vel petatur, vel ſperetur.

Sic deſtructis latæ in P. Martinium à Reverendiſſimo Domino Maigrot ſententiæ fundamentis; probatâque verâ, & legitimâ per dictum Patrem Sanctæ Sedis informatione, dignabuntur Eminentiſſimi Judices, & Patres injuſtè læſam ſolemni Mandato in re graviſſima Patris Martinii, & in eo Societatis univerſæ famam pro ſua æquitate vindicare, & reſtituere

OBSERVATIONES IN QUARTUM CAPUT MANDATI MAIGROTIANI

De ſolemnibus Confucii Philoſophi, & Progenitorum Cæremoniis.

Sic habet quartum Mandati caput. *Miſſionarii nullatenùs, nullâque de cauſa Chriſtianis permittant ſolemnibus, quæ ſemel & iterùm ſingulis annis Confucio, & Progenitoribus offerri ſolent, ſacrificiis, ſeu oblationibus praeeſſe, miniſtrare, aut intereſſe: Quas oblationes ſuperſtitione imbutas declaramus.*

Quæ in hoc quartum caput dicenda nobis erunt, adhuc pleniùs, evidentiùſque purgant P. Martinum Martinium: &

& ita vindicant Apoſtolicæ Sedis Decretum anni 1656. circà Sinenſium ritus, ut ſperemus fore omninò perſpectum Sanctæ Sedi; nihil potuiſſe ad Dei gloriam, ad Fidei incrementum, ad Sinarum converſionem juxtà Evangelii, atque prudentiæ Chriſtianæ Leges ſapientiùs præſcribi, quàm quæ Alexandri VII. Decreto hoc præſcripta ſunt, & conſtituta. Id in iſto negotio perjucundum nobis accidit, quòd Societatis cauſa non poſſit ab Apoſtolicæ Sedis cauſa ſejungi: ità ut Societatem vincere neceſſe ſit, ſi probemus non modò non erraſſe Sanctam Sedem, ſed nec potuiſſe à Reverendiſſimo ſine errore reformari quod eſt ea in re à Sancta Sede ſapientiſſimè conſtitutum.

PROLEGOMENA.

PROLEGOMENUM I.

Difficile eſt quæſtionem facti, quæ præcipua eſt in hac cauſa, decidere: unde hæc difficultas?

UT autem hæc clarè pateant, eſt origo mali, ſive hallucinationis circà ritus Sinenſium detegenda. Multiplex autem accurrit.

Prima eſt, mens aſſueta Europæis moribus, ac cæremoniis, atq; obſtinatè determinata ad judicium per illas ferendum de Sinarum ritibus, conſuetudinibuſque. Hinc enim fit, ut quod in Græcorum, Romanorumque annalibus pertinuiſſe legimus ad cultum Religioſum, divinumque, id velint qui ſic affecti ſunt non poſſe, niſi religiosè obſervari apud Sinas. Quaſi verò quæ ab hominum inſtituto pendent, non ſit moralitèr neceſ-

ſe variari apud Gentes, & quod à Romanis Infidelibus fiebat ex Religioſo fine, habere non potuerit apud Sinas finem politicum? Sic thus adolere, accendere cereos, odores comburere, & alia hujuſmodi, quæ Religioſi cultus pars erant olim Romæ apud Paganos, ſpectant etiam in China ad cultum merè civilem; hoſpiti enim, amico; Gubernatori, Mandarino, domum, in Urbem, in Provinciam advenienti thus adoletur, accenduntur cerei, odores comburuntur, &c. Hæc autem honoris merè politici cauſa fiunt, nempè erga illos, in quibus aliquid eſſe Numinis ne ſomniant quidem Sinæ dormiendo.

Porrò cum ex ſubordinatione maximè pendere bonum Imperii regimen, ac pacem exiſtiment, mirum eſt quantam præſcribant Leges gratitudinem diſcipulis erga Magiſtros, filiis erga parentes; adeò ut eam extendant etiam ad mortuos, quibus ex gratitudine ob

doctrinam, aut vitam ab illis acceptam ita obſequendum eſſe, ac ſi viverent, eſt commune, ac frequens apud illos axioma. Unde, ſicut vivis, ità mortuis & thus adolent; & accendunt cereos, & odores comburunt, non plus Numinis agnoſcentes in mortuis, quàm in viventibus, imò minùs poteſtatis: unde nec ab illis juxtà leges quidquam petunt, vel ſperant. Quod autem mortuis in Gallia Regibus per multos dies fieri ſolet, ut nempe ſolito more, iis, quaſi adhuc viventibus, convivium quotidiè apparetur, adſtantibus iis, qui in menſa miniſtrate ſolebant, Præfectis; id in China per multos annos, & ſingulis quidem annis ſemel & iterùm filii præſtant Parentibus. diſcipuli Magiſtris; ſed maximè Confucio Philoſopho Imperii Magiſtro; non plus in iis Numinis reveriti, ut certò infrà conſtabit, quàm Galli in ſuis Regibus; ne inquirentes quidem,

quidem, an fuerint probi, vel improbi; cum ſatis illis ſit, quòd ſui fuerint Progenitores.

Secunda erroris origo, eſt ignorantia linguæ Sinicæ, quæ eſt valdè difficilis, cùm quinquaginta habeat characterum, ſeu litterarum millia, & uni ſæpè litteræ multæ conveniant ſignificationes; & admodùm quidem inter ſe diverſæ: unde fit, ut facilè poſſit contingere Europæum per aliquot annos verſari in China, & eſſe tamen in Sinenſium litteris valdè indoctum & neotericum; ac proindè claſſicos Sinarum libros conſulere per ſe omninò non poſſe. quare qui in Chinam adveniunt, aut non ita pridem advenerunt, ſi vel ex odio, vel ex falſis præjudiciis audire renuant antiquiores, & in Sinicis litteris doctiores Evangelii Miniſtros, neceſſe eſt, ut ad ſingula hærentes, magno ſibi ipſis oneri ſint & aliis; perturbentur ipſi continuò, & , ſi authoritate polleant, totam perturbent Chriſtianitatem.

Tertia

Tertia origo ignorantiæ circà ritus controverſos petitur ex diverſitate Sectarum, quæ reperiuntur in China: nam alii ſunt Litterati, & hi dividuntur in Atheos, & Deiſtas; alii Idololatræ, & quidem diverſi pro diverſitate Idolorum, quæ colunt: alii Mahometani, alii Judæi, ut jam nihil dicam de Chriſtianis, qui in toto Imperio vivere nunc incipiunt pacificè, & longè lètaque propagari. In omnibus autem Sectis ſunt docti, & indocti, probi in ſuo genere, & improbi. Plurimi verò intereſt, quos conſulant, vel non conſulant qui volunt inſtrui de ritibus, an ſint nempè Religioſi, an mere civiles juxtà mentem Litteratorum. Aliter enim reſpondebunt Idololatræ, & aliter Litterati: inter Litteratos aliter fortè Atheus; aliter non Atheus, prout erit magis, vel minùs in ſua ſecta verſatus. Inter ipſos Chiſtianos, quis dubitet in China; ſicut in Europa, reperiri alios rudes,

alios

alios benè inſtructos? Niſi conſulantur idonei teſtes, periculum erit erroris: de idoneitate verò teſtium vix poterunt certò judicare, qui non erunt in litteris Sinenſibus ita verſati, ut ſimul cum viventibus mortuos quoque poſſint teſtes conſulere, hoc eſt, libros Sinarum claſſicos, annaleſque tam legere, quàm intelligere. Unde apparet non potuiſſe tam citò, nec uno momento quæſtionem illam decidi, certòque diſcerni politicos ritus in China à Religioſis. Propterea oportuit primos Evangelii Miniſtros diù multumque inſudare, ac pertinaci ſtudio per annos plurimos incumbere in cognitionem characterum Sinorum; in lectionem, ac meditationem librorum, legum, ſtatutorum, & conſuetudinum. Neque enim, res eſt nullius momenti hæc quæſtio, cùm hinc maximè pendeat propagatio Evangelii, conſtetque apud Miſſionarios prohiberi non poſſe Chriſtianis ritus illos erga Confucium Philoſo-

phum,

phum, & Progenitores, quin claudatur janua ſalutis, & fidei innumeris planè hominibus. Ut ergo certum eſt ritus illos prohibendos eſſe, ſi ſunt Idololatrici, non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; ita videtur omninò indubitatum, non poſſe ſine graviſſimo ſcelere prohiberi, ſi fuerint ſolùm politici, ac civiles, foreque in hoc caſu reos æternæ tot millium hominum damnationis, qui ſine ſufficienti cauſa hos prohibuerint. Non igitur fruſtrà inſudarunt Miſſionarii per triginta, & quadraginta annos, ut fierent idonei ad hanc facti quæſtionem ſapienter decidendam.

PROLEGOMENUM II.

Demonſtratur hæc difficultas exemplo.

PORRO ut cunctis pateat, quàm ſit difficile Europæis quæſtionem illam decidere, niſi plu-

plurima habeant adjumenta, quæ nonniſi poſt multos annos, & longum, pertinaxque, ac felix ſtudium nemo poteſt acquirere, rem exemplo explicamus.

Veniant in Europam duo Sinenſes, vel externi Idololatræ. Vident ſacras Imagines, ſtatuaſque Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum in Catholicorum Templis expoſitas, & eas vident oculis Idololatriæ aſſuetis. Primo intuitu non dubitant, quin ſint tot Idola, in quibus credatur à Catholicis ineſſe aliqua divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ illæ Imagines: non dubitant, quin multa ab iis petant Catholici, & petenda credant, quin figant in illis imaginibus ſuam fiduciam.

Ad ſic judicandum inducentur ex eo, quòd vident Catholicos procumbere in genua coràm illis, diuque, ac multum orare, reverenter illas oſculari; vident eas in altaribus collocatas, cereis, ac lampadibus circumquaque accenſis,

thus iiſdem adoleri, offerrique ante illas quotidiè cum multis ritibus ſacrificium, &c. Dum ex ſe metiuntur Catholicos duo illi Idololatriæ, & à cultu externo ad internum tranſeunt, prudenter agere ſe putant dum ſentiunt illas Imagines eſſe Catholicorum Idola; quod eſt tamen longè falſiſſimum: adeoque verum eſt oculum non ſufficere ad diſcernendum quid ſint, vel quid non ſint ritus terreni, quantumvis illi pateant ad oculum.

Quid ſi duo illi Sinæ fortè primùm ſibi obvios de ſacris Imaginibus interrogent, vel Hollandos, vel Anglos, quos quidem ſciunt Chriſtianos, Hæreticos verò neſciunt? Reſpondebunt iſti ſeriò Imagines illas eſſe Catholicorum Idola, quæ hi venerantur, ut olim Ethnici ſtatuam Jovis: dumque incipiunt Sinæ linguas Europæas intelligere, multos Scripturarum textus dant illis legendos Hæretici, quibus videtur in ſpeciem indoctis

Ima-

Imaginum cultus prohiberi, adduntque ſe propterea receſſiſſe à Catholicis. Hæc videntes, legentes, audientes Sinæ dubitare ſe non poſſe prudenter putant, quin ſint Catholici Imaginum Idololatræ. Hæc ſunt tamen falſiſſima ſed invictè probant, quàm facilè ſicut Sina in Europa, ità Europæus in Sina, qualis eſt fortè Reverendiſſimus Dominus Maigrot, ex ritibus præcisè externis, & ex mala informatione poſſint in errorem induci.

Pergunt ulteriùs noſtri Sinæ: Catholicos de Imaginibus interrogant: ſi parùm pios, vel ſi pios, at indoctos repererint, contingere facilè poteſt ita illos reſpondere, ut in ſuo errore Sinas confirment. Si doctos, & pios, fieri quoque poterit per diſtinctionem cultuum multiplicem, necnon & diverſitatem ſententiarum de cultus objecto & termino, de cultu abſoluto & relativo miſeros Sinas ab his ita fatigari, ut clarè non percipiant

quid ſit, necne Catholica fide credendum: eamque Catholici pro licito Imaginum cultu libros multos ediderint, multos contrà Hæretici; ſi hos placet Sinis jam doctioribus evolvere pro, & contrà, ut certò tandem aſſequatur queſtionem facti, quæ eſt propoſita; quantùm temporis, laboris, ſtudii, ingenii, doctrinæ, induſtriæ requiratur ad hanc dirimendam, nemo eſt qui non videat.

Tandem poſt multa interrogata, audita, viſa, dicta diù multumq; examinata, ut exploretur quænam ſit fides, & intentio Catholicorum in externo illo Imaginum cultu, ſtandum erit declarationi libri alicujus ſymbolici v. g. Concilii Tridentini, ut expreſsè docetur *Imagines Chriſti, Beatæ Virginis, & aliorum Sanctornm in Templis præſertim habendas, & retinendas eſſe, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, & virtus,*

propter

propter quam ſint colenda: vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel fiducia in Imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentilibus, qui in Idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant.

Si ſapiunt duo illi Sinæ, judicare non debent de vero Imaginum cultu apud Catholicos, neque ex ritibus præcisè externis, qui pariter adhibentur ad colenda Sinarum Idola, neque ex Hæreticorum aſſertis, neque ex reſponſis Catholicorum, quos aut parùm pios, aut parùm doctos diximus, neque ex ſuperſtitioſa praxi, aut credulitate privatorum fortè plurimum, ſed ex prima inſtitutione, & fine iſtiuſmodi rituum, quam explicant verba Concilii, & quam ſequuntur benè inſtructi communiter omnes Catholici. Si enim aliter de cultu ſuo judicent, ſcribent in Chinam falſiſſima, nempè tot eſſe Idola apud Catholicos, quot

ſunt Sacræ Imagines.

Exemplum illud, quod proponit obſervationum Author, planè demonſtrat, quod is intendit; nempè difficile admodùm eſſe Europæis decidere quæſtionem facti de ritibus Sinenſium, an juxtà communem Imperii fidem, ac intentionem ſint Religioſi, an verò ſolùm politici; cùm iſtiuſmodi quæſtionis deciſio peti non debeat ex ſola rituum apparentia externa, ſed ex multiplici examine, cui inſtituendo, ut par eſt, idonei eſſe non poſſunt, vel qui recentes ſunt in China, vel qui in literis Sinenſibus adhuc rudes: ſicuti difficile eſſet Sinis Idololatris in Europam recèns appulſis decidere, ut oportet, ex ſola rituum apparentia, an intendant Catholici Sacras Imagines venerari, ut Idola, an non. Id facilè percipiunt, qui ad ſecundum prolegomenon ſolo ducti veritatis ſtudio attendunt.

Quid facit Dominus Charmot? Rei per ſe claræ tenebras affundit, mentem

mentem aliò detorquendo, & obſervationum Authori affingendo quæ nec ſomniavit.

Sic enim primò de illo loquitur. *Contendit Obſervator perinde ſe habere apud Sinas cultum Confucii, & defunctorum, ac apud Catholicos in Europa cultum ſacrarum Imaginum*. Contendit obſervationum Author cultum Confucii, & Defunctorum eſſe quoad ſubſtantiam politicum & civilem: novit autem Religioſum eſſe Sacrarum Imaginum cultum. In hoc, unum, cultum cum altero non comparat. Sed quia Dominus Charmot cum ſuo Reverendiſſimo continuò docet, ſolà rituum exteriorum erga Confucium, & Majores expoſitione, ſtatim Europæo conſtare poſſe, cultum illum eſſe idololatricum, ut manifeſtè patet quàm falſa ſit hæc regula, adducuntur ab obſervationum Authore in Europam externi Idololatræ, atque demonſtratur eos, ſi ad ſolam exterioris erga ſacras Imagines cultus apparentiam atten-

 dant,

dant, nulla Catholicorum intentionis, regulæque à Conciliis præſcriptæ habitâ ratione, ſtatim illaturos, ſacras Imagines eſſe Catholicorum Numina, ſeu Idola; cultumque illarum eſſe non modò religioſum, ſed divinum, ideòque idololatricum: quod eſt tamen longè falſiſſimum. In hoc eſt comparatio legitima.

Secundò. Tricatur circà naturam quæſtionis, de qua agitur. *Hæc quæſtio*, inquit, *an hic vel ille cultus ſacrarum Imaginum ſit bonus, & legitimus, an idololatricus, eſt ſine dubio quæſtio juris*. Benè quidem, ſed quæſtio juris, quæ pendet à duplici quæſtione facti. Prima. An hos & illos ritus externos Catholici adhibeant ad colendas ſacras Imagines? Secunda verò, an in adhibendis illis ritibus externis Catholici intendant aliquid Numinis in ſacris Imaginibus colere? Eſt ſanè hæc quæſtio facti; & ab hac ſecunda facti quæſtione potiſſimùm pendet deci-

ſio

ſio quæſtionis juris, quæ, illâ ſolutâ, nihil habet difficile. Idem dicendum eſt de ritibus Sinenſium. In hoc errat continuò Dominus Charmot, quòd aliam facti quæſtionem non agnoſcat, quàm quæ tangit ritus externos: cùm ſit vera facti quæſtio, an Sinæ intendant, dum adhibent ritus illos externos, colere in Confucio aliquod Numen, vel ſolùm Imperii Magiſtrum. In utroque caſu quæſtio juris pendet potiſſimùm à ſecunda quæſtione facti, in qua ſapienter decidenda tota ferè conſiſtit hujus cauſæ difficultas. Sed de his iterùm modò.

Ex his intelligi debet primò. Non eſſe, quòd quis Romæ conturbetur, ſi quæſtio facti de ritibus Sinenſium erga Confucium Philoſophum, & Progenitores Europæis hominibus videatur ſtatim difficilis, hoſque primo intuitu inquietet.

Secundò. Definiri illam non debere, neque ex ſola apparentia

exteriori, neque ex indoctorum, aut ſuperſtitioſorum hominum relatione.

Tertiò. Conſulendos eſſe propterea libros claſſicos, qui de rituum illorum inſtitutione agunt, quid pro illis adhibendis Leges præſcribant; quid prohibeant; quis ſit finis horum rituum; qua intentione illos obſervent viri ſapientes, & docti inter Sinas Litteratos; quid illi ſentiant de Deo, rebuſque divinis.

Hæc porrò cùm magnam in Sinenſibus litteris eruditionem requirant, longumque, & accuratum axamen, librorum claſſicorum lectionem, explicationem Interpretum, doctorum hominum conſuetudinem, diuturnam experientiam, & uſum, præter ſcientias Europæas, maximèque Theologiam, & Philoſophiam; inde conſtat quàm parum fidei mereantur in Europa qui tales non ſunt, ut potè novi in China, & in Sinenſium litteris plus adhuc neoterici, etſi aliunde

dè nulla æmulatione, nullo affectu minùs recto ducerentur.

Quod verò Sanctam Sedem in hoc gravi negotio mirè debet conſolari, Sacræ Congregationis anxietatem levare, jam conſtituti ab Apoſtolica Sede Decreti æquitatem, ſapientiam, ac neceſſitatem demonſtrare, illud eſt quòd in rebus humanis, ac quæſtionibus facti, de quibus eſſe poteſt controverſia, reperiri vix poſſint graviora, firmiora, & clariora fundamenta, quàm ſint ea, quæ Societatis praxim, atque ſententiam circà ritus illos, hinc prudentem, tutam, innocentem, inde verò propagandæ inter Sinas Chriſtianæ Fidei, non ſolùm idoneam eſſe probant, ſed etiam neceſſariam.

PRO-

PROLEGOMENUM III.

An quæſtio facti ſtatum quæſtionis conſtituat? & quænam illa ſit?

DUO Diſpunctor objicit continuò obſervationum Authori: Primum, quòd appellet quæſtionem facti eam, qua quæritur, an ritus erga Confucium, Progenitoreſque adhiberi in China ſoliti, ſint civiles ritus, an religioſi? (a) *Eſt nimirùm*, inquit, *hæc quæſtio juris*. Secundum, *quòd vix unquam ille quæſtionem facti attingat, aut ſicubi in eam incidit, ſtatim prætervehatur. Quæſtionem verò facti hac in cauſa eſſe, quidnam reipſa in ejuſmodi cultibus agatur v. g. an cerei coràm Confucii, & Progenitorum tabellis accendantur, &c? Quæſtionem autem juris, an talis cultus ſit religioſus?*

Ad primum reſpondet obſervatio-

(a) Hiſt.cult. Sinenſ. pag. 1.& . . . 2.

tionum Author, Dominum Charmot, ſive Diſpunctorem mentem ipſius non attigiſſe. Triplex enim inſtitui poteſt quæſtio de Sinenſium ritibus. Prima an hi, & illi ritus externi à Sinis adhibeantur in honorem Confucii, & Progenitorum, v. g. an cerei accendantur, &c.

Secunda, an juxtà communem Sinarum mentem ritus illi externi adhibeantur ad colendum Confucium, Progenitoreſque, vel ut Deos, vel ut Sanctos, aut quaſi habentes poteſtatem humanâ majorem? An verò Confucium colere ſolùm intendant, ut Imperii Magiſtrum, à quo doctrinam, Progenitores, ut eos à quibus vitam acceperunt?

Tertia, an dicti ritus externi ſint religioſi, vel civiles; illiciti, vel liciti?

Prima quæſtio, eſt quidem quæſtio facti, ſed in qua non eſt magna difficultas; cùm oculi ipſi ſint judices rituum exteriorum.

Secunda quæſtio, eſt etiam quæ-

ſtio facti, ſed prima difficilior: ad hanc enim decidendam non ſufficit oculus corporis. qui ritus ſolùm externos attingit: ſed requiritur prætereà oculus mentis, qui multiplici indagatione, ratiocinio, lectione, interrogatione detegat communem in adhibendis illis ritibus Sinarum intentionem. Quid autem intendant Sinæ, vel non, eſt iterùm quæſtio facti, ut patet: & eſt ea, de qua continuò egit obſervationum Author, cùm in ea totum conſiſtat.

Et verò tertia quæſtio, quæ juris eſt, an ſint ritus illi ſolùm politici, vel religioſi, nihil habet difficultatis, ſoluta ſecunda quæſtione: ſi enim Confucium, & Majores colunt Sinæ ut Numina, vel ut Numinis aliquid habentes, clarum eſt ritus, quibus eos venerantur, eſſe verè religioſos: ſi è contrario illum colunt merè ut Imperii Magiſtrum, hos autem ut Progenitores, certò conſtat ritus eoſdem non eſſe niſi politicos, & civiles. Me-

Meritò igitur obſervationum Author totus fuit in probando ritus illos juxtà communem Sinarum perſuaſionem non eſſe religioſos, ſed tantùm civiles; cùmque aliundè non ſit minùs certum innumeris hominibus claudi januam ſalutis per rituum hujuſmodi prohibitionem, hinc ille intulit non poſſe illos prohiberi, ſi ſolùm fuerint politici, ſine graviſſimo peccato contrà charitatem Dei, & proximi: imò contrà impoſitum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus præceptum de prædicando Gentibus Evangelio, ac proindè ſententiam permittentem illos ritus non modò eſſe veritati conformiorem, quàm ſit oppoſita Reverendiſſimi Domini Maigrot opinio, ſed etiam eſſe in praxi tutiorem, & fortaſſis unicè tutam. Hæc ad primam Diſpunctoris querimoniam.

PROLEGOMENUM IV.

Brevis, & recta expoſitio rituum externorum erga Confucium Philoſophum, & Progenitores.

SECUNDA Domini Charmot querimonia eſt, Authorem obſervationum vix unquàm attigiſſe primam facti quæſtionem, quæ conſiſtit in rituum exteriorum expoſitione. Sed reſpondet primò. Obſervationum Author, percurrenti obſervationes fore manifeſtum, vix ullam eſſe cæremoniam externam ex iis, quæ juxtà leges aut conſuetudinem univerſaliter receptam apud Sinas adhiberi ſolent, vix, inquam, ullam eſſe talem, quam non attigerit; vel probando eam uſurpari in China erga viventes, vel ex intentione Sinarum ad cultum civilem determinari.

Reſpondet ſecundò. Brevi exhibendam Sacræ Congregationi expo-

poſitionem facti benè longam, juxtà fidelem Sinenſium Miſſionariorum relationem.

Reſpondet tertiò, Nuſquàm magis peccaſſe Dominum Charmot, quàm ſingulos ejuſmodi ritus parùm fideliter exponendo: exponit enim eos parùm fideliter, ut dictum eſt, qui ſimul non exponit, & internam in his uſurpandis Sinarum mentem, & morem in China receptum illos ferè omnes ritus adhibendi in honorem viventium: hæc autem duo vel exponere Dominus Charmot recuſavit, vel contrà Sinarum mentem expoſuit.

Reſpondet quartò. Donec prodeat relatio illa longior, quæ promittitur, hujus quaſi compendium inde quoque deſumptum interim ob oculos poni.

Porrò inter ritus externos erga Confucium Philoſophum, & Progenitores, alii pertinent quaſi ad ſubſtantiam, & ſunt univerſaliter recepti, alii ſunt quaſi adſcititii, & ac-

& accidentales; alii indubitati, alii controverſii; alii merè civiles, alii ſuperſtitioſi, aut ſuperſtitionem redolentes, ideòque Chriſtianis nunquàm permiſſi.

Primùm autem meminiſſe oportet quæſtionis præliminaris, in qua, ni fallor; probatum eſt efficaciter. neque Confucium, neque Progenitores coli in China vel ut Deos, vel ut Sanctos, utique propriè dicta ſanctitate; unde conſequitur nullum in iſtis cæremoniis ſacrificium peragi; nullum adeſſe Sacerdotem, neque Diaconum, neque Subdiaconum; nullum ibi intervenire neque Templum, neque altare propriè dictum; nullam fieri animalis immolationem, aut carnium; nullam libationem propriè dictam, ſeu ſacram; nihil juxtà Leges peti à Confucio, vel à mortuis; nihil ſperari ex eorum merito; nullas poſt ſolemnitatem carnes diſtribui tanquàm virtutem habentes ex ſacrificio peracto.

Secundùm eſt, fieri bis in anno

à Lit-

à Litteratis Sinenſibus ſolemnes oblationes in honorem Confucii, tanquàm Magiſtri ſui, intrà aulam ipſi dedicatam, & coràm tabella illius nomine inſcripta, ac ſuprà menſam collocata ad memoriam ejus conſervandam.

Ubi primò. Sunt Litterati propriis Litteratorum veſtibus induti, qui officium illud peragunt, partitis inter ſe functionibus, adeòque etiam nominibus, eo penitùs modo, quo in conviviis ſuis ſolent Sinenſes facere, ut omnia ordinatè procedant.

Secundò. Variæ fiunt ab illis genuflexiones, & inclinationes, ſicut fieri ab illis ſolet coràm viventibus.

Tertiò. Cādelæ ſunt ſuprà menſam illam accenſæ cum odoribus ſuprà eandem ardentibus, quemadmodùm etiam fieri ſolet à Sinis in gratiam, & honorem viventium.

Quartò. Variorum animalium, ut Suis, capræ, aut cervi, & ſi-

milium, pridiè ſolemnitatis, & extrà Confucii aulam à Lanione, ſeù Macellario: occiſorum carnes diſcis impoſitæ afferuntur à prædictis Officialibus, & prædictæ Tabellæ tanquàm Confucium repræſentanti offeruntur; ſicut item fieri ſolet viventibus in illa regione, utque, juxtà receptum ibi axioma. ſerviant mortuis quaſi viverent, & eſſent ſuperſtites.

Quintò. Carnes illæ deinde inter aſſiſtentes, & alios diſtribuuntur, & ab iis honorificè excipiuntur, & comeduntur, tanquàm partes convivii in honorem Confucii celebrati.

Sextò. Vinum etiam offertur cum aliqua elevatione, ac effuſione in craterem ſuppoſitum, aut in terram; ut fieri ſolet in ſolemnibus Sinarum conviviis ad hoſpitem, ſeu convivam honorandum.

Septimò. Aliquid ſanguinis, ſeu pilorum animalis occiſi in diſco ſimiliter offertur; ad oſtendendam ob-

oblationis integritatem, ex eo ſcilicet conſtantis, partim quod magis intimum eſt, ut ſanguis; partim quod magis extimum, ut pili: quod & deinde terræ mandatur, infoditurque, tanquàm quidpiam inutile, ne fœteat.

Octavò. Offertur & ſimili modo pannus ſericus, qui poſteà extrà aulam comburitur; quia nolunt Sinæ, ut alteri ſerviat; oſtendere volentes ſe honorare Confucium, ſuum veluti Imperatorem, cujus ſi veſtis, ipſius injuſſu, à quopiam ſumeretur, crimen eſſet læſæ Majeſtatis.

Quod ſpectat ad jejunia, & abſtinentiam à thoro conjugali tribus diebus ante ſolemnitatem Confucianam, nihil horum reperies legibus præſcriptum: & fatetur Reverendiſſimus à Leoniſſa ſe certò neſcire, an hoc fiat. Eſt quidem uſus in China, ut qui conveniunt Imperatorem, aut etiam Mandarinos, jejuni ad eos accedant, & ante prandium, maximeque à vino

prius abſtineant, quod fit honoris causâ, nihil prohibet idem fieri à Mandarinis ipſo die ſolemnitatis Confucianæ, quæ multo manè incipit: ſed in iſtis ne umbra quidem Religionis eſt. Olim jejunabant qui adibant Imperatorem ad tributa perſolvenda.

Leges in eadem relatione tabellam Confucii nomine inſcriptam per figuram Confucium dici; non quòd putent in ea realiter adeſſe Confucii Spiritum, ſed quòd Confucium repræſentet; uti Crucifixum, qui ad litteram Chriſtus eſt, vocamus nos ipſi tabellam ejus imagine ſive pictâ, ſive ſculpatâ inſignitam: nemo temen noſtrum putat ibi Chriſtum eſſe realiter præſentem. Undè procedere obviam Confucio, ſeu Spiritui, eſt obviam ire ad excipiendam, honorandamq; hanc Confucii Tabellam, quando ex ſuo loculamento extrahitur, & in menſa reponitur: comitari recedentem, eſt illam honorare, quando ex menſa in ſuum locum reportatur.

Item quod vocant adverſarii offertorium, aut preces directas ad Confucium, videbis aliud eſſe nihil, quam orationem panegyricam in honorem Confucii recitatam: ab eo autem nihil illos nec ſperare, nec petere, ſicuti nec à mortuis juxtà leges.

Jam verò quod ad convivia in honorem ſive Confucii, ſive Progenitorum ſuorum celebranda, ſicuti & ad nobilem hoſpitem honorificè excipiendum, ſeligant animalia, quæ reperiunt optima, hoc nihil ſuperſtitionem ſapit; nihil prohibet, quin probari poſſint apud Sinas quæ erunt vegetiora per infuſionem calidi vini, quà alibi probantur equi vegetiores, valentioreſque.

Porrò, quæcumque Adverſarii objiciunt, habes in eadem expoſitione ſigillatim relata, & explicata ab antiquis Sinarum Miſſionariis, qui nec diſſimulant, cùm aliquid ſuperſtitioſum occurrit, qualis eſt v. g. combuſtio monetæ pa-

pyraceæ, quæ fit extrà aulam; & poſt finitam erga Progenitores mortuos ſolemnitatem. Neque enim unquàm negarunt ritibus, quòad ſubſtantiam, & ex inſtitutione politicis, ſuperſtitioſa acceſſiſſe; cùm è contrario ipſe Pater Martinius hoc expreſsè affirmarit in quarto quæſito Sacræ Congregationi præpoſito.

Quartò, inquit: *quæritur, nùm cæremoniæ, quæ fiunt ex Philoſophorum placitis circà defunctos, Chriſtianis permitti poſſint, prohibendo quidquid ſuperſtitioſum acceſſit?*

Quæritur iterùm, nùm Chriſtiani ſimul cum infidelibus conſanguineis eaſdem licitas cæremonias facere poſſint.

Quæritur iterùm, nùm adeſſe poſſint Chriſtiani præcipue factâ fidei proteſtatione, quandò Infideles etiam ſuperſtitioſa peragunt, non coöperando, non autorizando, ſed quia valdè notaretur, ſi conſanguinei tunc abeſſent, & eſſent ini-

micitiæ cauſa, & odii?

Ita Martinius: qui deinde exponit triplicem apud Sinas modum defunctos honorandi. Sic autem ad quæſita ita reſpondetur.

Sacra Congregatio juxtà ea quæ ſuperius propoſita ſunt, cenſuit poſſe tolerari Sinas converſos adhibere dictas cæremonias erga ſuos defunctos, etiam cum Gentilibus, ſublatis tamen ſuperſtitioſis. Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus, quando agunt ſuperſtitioſa, præſertim factâ fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis, et quando aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſſunt. Ità Decretum Sacræ Congregationis ab Alexandro VII. approbatum.

Ex illis quæſitis, reſponſiſque claré apparet poſitivè affirmatum à Martinio, iſtiuſmodi ritibus, juxtà ſuam inſtitutionem politicis, acceſſiſſe quædam ſuperſtitioſa: Id fuiſſe ſuppoſitum ab Apoſtolica Sede: Unde patet, quo ſenſu Miſſionarii Sinenſes è Societate, uti

& obſervationum Author, has cæremonias eſſe intendant merè politicas & civiles, nempè quoàd ſubſtantiam, ex natura, atque inſtitutione ſua, cùm illud ex eo maximè probent, quòd nihil Numinis agnoſcant Sinæ nec in Confucio, nec in Majoribus; quos nimirùm nec ut Deos colunt, nec ut verè ſanctos, & habentes poteſtatem humanâ majorem.

Sed audio jam typis excuſam eſſe facta expoſitionem illam, de qua prius; ideòque eſſet inutile plura ſigillatim hic explicare, quæ pluribus ibi, & meliùs non modò relata, ſed & probata ſolidè reperies.

Redeamus ergo ad ſecundam facti quæſtionem, nempe an juxtà communem Imperii fidem, atque perſuaſionem, Sinæ intendant per cæremonias erga Confucium, & Majores adhiberi à ſe ſolitas, colere ſolùm illum ut Imperii Magiſtrum ob doctrinam, hos ut Progenitores ob vitam ab illis acceptam

ptam? an verò Numen aliquod in illis venerari, aut aliquid ſuprà naturam? Si primum, ritus illi ſunt merè civiles & politici, quoàd ſubſtantiam; ſi ſecundum, ſunt religioſi, ideòque idololatrici, & ſuperſtitioſi.

Amplectimur ſententiam de ritibus juxtà mentem Sinarum politicis, quam putamus veriorem ſimul & tutiorem: hujus ſententiæ fundamenta exponimus.

Dicimus igitur primò illam facti quæſtionem fuiſſe diù, ac frequenter examinatam. Secundò. Examinatam ab iis qui diù vixerant in China, nempe 20. 30. 40. & 50. annis. Tertiò. Examinatores illos in litteris Sinenſibus fuiſſe apprimè verſatos, ut ex libris conſtat quamplurimis, quos idiomate Sinico eleganter ſcripſerunt, & ſolidè. Quartò. Doctos aliundè in Theologia, & Philoſophia. Quintò. Viros magnæ pietatis, Chriſti Confeſſores, & aliquos donis extraordinariis inſignes. Sextò. Non paucos eſſe

iſtiuſ-

iſtiuſmodi homines, unum & alterum, qui re examinata ſententiam illam amplexi ſint, ſed multos omninò, ac plures quàm octoginta. Septimò. Illos non fuiſſe ſolùm è Societate Jeſu viros; ſed ex aliis quoque ſacris Ordinibus, maximèque Sancti Dominici, nonnulloſque Epiſcopos, & in dignitate conſtitutos. Octavò. Inprimis viginti duo Chriſti Confeſſores, pro Chriſto exules, relegatos ſimul Cantonem, ſæpeque in exilio ſimul pro rebus Sinicis, & præſenti negotio congregatos. Nonò. Doctos Sinenſes tam Chriſtianos, quàm infideles ea de re ſæpiùs interrogatos, juxtà ſententiam Societatis reſpondiſſe. Decimò. Haberi adhuc præ manibus libros Sinenſium his de ritibus tractantes, & probantes nihil illos in ſua inſtitutione, niſi politicum ac civile, habuiſſe. Undecimò. Levem admodum multas ob cauſas, & quidem graves, auctoritatem eſſe illorum, qui pro oppoſita opinione citantur à Reve-

ren-

rendiſſimo Domino Maigrot, & Domino Charmot. Duodecimò. Denique Sacram Congregationem, & Apoſtolicam Sedem benè informatam authoritate ſua confirmaſſe ea, quæ potuiſſent in dubium ſuper ea quæſtione revocari.

Sanè quòd poſt tam frequens, tamque diuturnum examen, à tot & tantis viris variorum ordinum, & Nationum, maximèque Sinenſibus definitum ſit, non coli in Sina Confucium Philoſophum ut Idolum, non coli ut Idola Progenitores mortuos, ideòque nec veris ſacrificiis coli, nec in veris altaribus, ſed ritus, quibus coluntur, eſſe merè civiles, ac politicos, ac proindè debere omninò hos permitti Neophytis, ne gratis, & ſine cauſa ſufficienti janua ſalutis & fidei claudatur innumeris planè hominibus; quòd, inquam, id ita definitum ſit, hoc demùm numquid videtur eſſe in Europa moraliter certum veritatis argumentum?

OBSERVATIO I.

Quæſtio facti de Sinenſium ritibus ſæpè & diù examinata eſt.

DIXI primò, illam facti quæſtionem fuiſſe ſæpè atque diù examinatam.

Teſtabatur anno 1670. R. P. à Sancto Petro, (b) inſignis ex ſacro Dominicanorum Ordine in Sina Miſſionarius, R. Patrem Dominicum Gabiani Miſſionarium item è Societate celebrem, in tractatu, quem de argumentis illis compoſuit, varias citaſſe conſultationes jam inde à naſcentis Miſſionis initio habitas tum à Superioribus, tum à Miſſionariis in unum collectis, ut hanc facti quæſtionem diſcuterent, enumeraſſeque ſeptuaginta quatuor, præter alias privatorum multas: ac ſemper in illis fuiſſe

(b) *In tractatu recèns edito.*

fuiſſe concluſum, neque Confucium; neq; Progenitores, aliis quàm ex ſe civilibus politiciſque ritibus in Sina honorari.

Idem R. P. à Sancto Petro refert judicium P. Franciſci Bardi, (c) qui magno plauſu per multos annos Theologiam Panormi docuit, fueratque circà ritus illos à Reverendo Patre Brancati interrogatus. *Legi*, inquit, *& relegi quæſtiones à te mihi propoſitas, viriſque doctiſſimis eaſdem communicavi: judicamus communi conſenſu ſine ullo ſcrupulo coli poſſe Confucium ritibus, de quibus agitur, utpotè purè civilibus. Idem ſentimus de cæremoniis Sinenſium erga mortuos: illa conſuetudo carnes offerendi mihi quidem videtur vana & inutilis, ſed dici non debet ſuperſtitioſa. Sic & reſponderunt conſulti plures alii Theologi, etiam Romani.*

Quàm ſæpè, quàm diù, & quanta diligentia hæc facti quæſtio diſcuſſa ſit, conſtat adhuc ex brevi re-

(c) *Ibidem.*

relatione de ſtatu Miſſionis Sinenſis à Patre Philippo Chouplet ex Sina reduci, oblata S. Congregationi de Propaganda Fide, anno 1688.

Sanè huic examini ſeſe totum applicavit P. Matthæus Ricci Italus, Miſſionis Fundator, ubi primùm Sinas ingreſſus eſt, illiſq; per triginta ferè annos indefeſſo planè ſtudio incubuit. Patet autem ex commentariis ejus latinè redditis, & ſub initium hujus ſæculi ante annos 80. Paulo V. dedicatis, (d) *Confucium non haberi à Sinis Idolum, ſicut nec Progenitores defunctos; cultum, qui illis exhibetur non eſſe religioſum: nullam in illis ſive puniendi, ſive remunerandi divinam agnoſci facultatem; reipſa nihil ſperari, communiter loquendo, & juxtà horum rituum inſtitutiones nihil peti nec à Confucio, nec à Progenitoribus: ideoque hujuſmodi cæremonias eſſe ab omni ſacrilegi cultûs ſcelere alienas.* Ita P. Riccius. Unde etſi aula Confucii fanum

(d) Pag. 107. 108. 109.

num appelletur: evidens eſt, quòd ex P. Riccio non ſit fanum, aut templum propriè dictum, ſicuti nec Progenitorum aulæ, ut infrà patebit adhuc magis.

Habemus, inquit P. Couplet, (e) *etiamnùm in noſtris domibus leges quaſdam ab eodem P. Riccio poſt diſcuſſionem illorum rituum à ſe, ſociiſque factam in anno* 1600. *conſtitutas: alias item anno* 1603. *ab eodem relictas, & à P. Alexandro Valignano totius Orientis Viſitatore recognitas, & confirmatas, poſt acceptam à P. Emmanuele Diaz rerum illarum legitimam informationem.*

Has ipſius ordinationes, ut ait idem P. Couplet, *inſtituto novo examine confirmavit, & ſecutus eſt P. Franciſcus Paſius, Viſitator Japoniæ, & Sinæ, nullâ factâ in illis mutatione: ut anno* 1611. *ipſe teſtatus eſt. Sanè in his Miſſionis principiis vix ulli miſſi ſunt in Sinas Viſitatores novi, qui de novo rem*

(e) Iu brevi relatione.

rem non expenderint.

Anno 1621. P. Hieronymus Rodriguez (*f*) convocavit ſeptem doctiores, & antiquiores Miſſionarios: re cum illis iterùm diſcuſsâ accuratè, Ordinationum quaſi ſummarium compoſuit, ad propagandas his in locis fidem Chriſtianam utilium; in iis, ut antè declaratum eſt, ait permitti debere Neophytis merè civiles ergà Confucium, & Progenitores mortuos cæremonias, ſublatis ſuperſtitioſis, ut ſtatuit poſteà Congregatio.

In anno 1628. cùm undecim Miſſionarii (*g*) ex variis Provinciis conveniſſent in Urbem *Chiatim*, ibique adeſſent tres in Sina celeberrimi doctores Paulus, Michaël, Zeno, cum Licentiato Ignatio; qui poſteà factus eſt Vice-Rex: In hoc conventu iterùm, atq; iterùm probata eſt eadem praxis jam inde ab initio fundatæ Miſſionis à P.Matthæo Riccio, & deinceps

(f) *Ibidem*, (g) *Ibidem.*

inceps continuo uſu obſervata. Sequenti anno 1629. P. Andreas Palmerius (*h*) Viſitator, olim in Academia Conimbricenſi Doctor primarius, poſt luſtratas varias Sinenſis Imperii Provincias, imprimiſque aulam Regiam; poſt auditos Miſſionarios, plerioſque Ordinationes attentè examinatas, quæ ad ritum Confucii, atque defunctorum ſpectant, planè eas confirmavit: uti & confirmatæ ſunt anno 1633. in alio Miſſionariorum conventu in Provincia *Chiamſi*, cui interfuit P. Semedo, quem immeritò, & falsò contrà illos ritus citat Dominus Charmot, ut clarè infra videbitur.

Confirmarunt quoque eandem praxim, data à Romanis, & aliis Europæ Theologis reſponſa ad quæſtiones Japonum anno 1602. à Sacra Congregatione coràm Clemente VIII. approbata; & alia anno 1616. facta Patri Nicolao Trigautio.

A a Vi-

(h) *Ibidem.*

Videbimus ſuo loco inferiùs, quomodò gravi perſecutione circà annum 1636. excitatâ ob ardentiorem quorundam ex ſacris aliis Ordinibus Religioſorum zelum, Superiores illorum, ac Vice-Provinciales, & multi, & docti bonâ fide agnoverint, ſcripſerintque ſequendam omninò eſſe Societatis methodum in converſione Sinarum.

Videbitur quoque idem definitum eſſe anno 1668. in pleno cœtu Miſſionariorum S.Dominici S.Franciſci, & Societatis Jeſu in Urbe *Canton* collecto, poſt longum, & accuratum examen diſcuſſiſque Sacræ Congregationi ad quæſitatum R. P. de Morales Dominicani, tum P. Martinii Jeſuitæ reſponſis. Unum hic intendo, ut Sacræ Congregationi conſtet, quàm ſæpè, quàm diù, & quanto ſtudio examinatum id fuerit, & ſemper deciſum, merè civiles illas eſſe cærimonias quòad ſubſtantiam, merè politicos ritus, licitoſque propterea Chriſtianis.

OB-

OBSERVATIO II.

Inſtitutum eſt examen de ritibus Sinenſium à viris, qui diù multumque vixerunt in China.

DIXI ſecundò. Inſtitutum fuiſſe iſtiuſmodi examen non à viris, qui nunquàm Sinas viderint, vel à limine tantùm ſalutarint, vel ſint in angulo ſolùm Imperii cum indoctis, atque plebeiis commorati; ſed à Miſſionariis, quorum alii 15. alli 20. 30. alii, alii 40. alii etiam plures annos apud Sinas habitarunt; varias Regni Provincias luſtrarunt; cum Sinenſibus ubique tam doctis, quàm indoctis, tam nobilibus, quàm plebeiis familiariter converſati. Pater Matthæus Riccius anno 1583. Sinas ingreſſus immensùm ibi laboravit ad annum 1610. P. Joannes de la Rocca Luſitanus eundem Dominicum agrum excoluit, vixitque in China annos 25. P. Al-

phonſus Vagnoni Pedemontanus 35. annos. P. Nicolaus Trigautius Belga 19. annos. P. Lazarus Cataneus Italus 46. annos. P. Julius Aleni Italus 36. annos. P. Antonius de Govea Luſitanus 41. annos. P. Emmanuel Diaz Senior Luſitanus 38. annos. P. Emmanuel Diaz Junior item Luſitanus 49. annos. P. Michael Trigautius Belga 38. annos mortuus exul pro fide. P. Ignatius d'Acoſta Luſitanus 32. annos in exilio quoque defunctus. P. Gaſpardus Ferreira Luſitanus 41. annos. P. Stephanus Faber Avenionenſis 29. annos. P. Alvarus Semedus Luſitanus 49. annos. P. Joannes Adamus Schall Germanus 44. ann. P. Ludovicus Buglius Siculus 45. ann. P. Petrus Canevari Italus 35. ann. P. Franciſcus Sambiaſi Neapolitanus 27. ann. P. Gabriel de Magallanes Luſitanus 37. ann. P. Petrus Ribero Luſitanus 36. ann. P. Franciſcus Brancati Siculus 33. ann. P. Ferdinandus Verbieſt Belga 24. ann. P. Dominicus Gabia-

biani Pedemontanus 30. circiter ann. P. Proſper Intorcetta Siculus annos 40.

Ut omittam plures quàm 80. alios è Societate, qui mortui ſunt in Sina, ibique vixerunt alii pluribus annis, alii paucioribus: præter Miſſionarios ex aliis Ordinibus idem ſentientes, plurimoſque Sinas Neophytos, de quibus poſteà. Fieri non poteſt quin inſtitutum de quæſtione facti Sinenſis examen à tot viris, & talibus apud ſapientes magnam vim habeat, prævaleatque immensùm qualicumque examini Reverendiſſimi Domini Maigrot, ab octo fortè vel novem annis Sinas appulſi, nec ſcientis multa Sinicè,

OBSERVATIO III.

Qui inſtituerunt examen de Sinenſium ritibus, non modò diù vixerant in Sina, ſed & erant in Sinicis ſcientiis, ac litteris optimè verſati.

DIXI tertiò, Viros illos non modò diù vixiſſe inter Sinenſes, ſed etiam illos fuiſſe in Sinenſibus litteris, & libris apprimè verſatos; ita ut illorum plurimi idiomate Sinico libros multos compoſuerint non ſine ſtupore Sinenſium.

Pater Matthæus Riccius Maceratenſis, eleganti ſtylo ſcripſit librum de Deo, ejuſque natura; alium, quem vocat decem Paradoxa, de morte, judicio, jejunio, & aliis hujuſmodi; Tertium, de Lege Chriſtiana, ubi ſolidè Sinenſium errores detegit, & refutat tam Litteratorum commenta, quàm Idololatrarum. *Prodiit in lucem*

hoc

hoc opus, inquit P. Philippus Couplet, *ſucceſſu, fructuque prorsùs admirabili, & ſecundùm rationes humanas nunquàm ſperato*. *De hoc libro*, (i) inquit R. P. Dominicus à S. Petro, ex Sacro Prædicatorum Ordine, per 30. ferè annos in Sinas commoratus, litteriſque Sinenſibus inprimis excultus; (k) *De hoc libro quem ſæpè attentè legi, teſtor mihi crebrò veniſſe in mentem, quòd dictus liber opus eſſet hujuſmodi, ut ſine revelatione divina, aut alio ſpeciali Dei auxilio non potuerit ab Authore perfici. In quorum fidem manu meâ ſubſcripſi, nonâ Maii 1667. in Metropoli Quam-cheu*. Ita ſcribit ad Sacram Congregationem, & ad ſuum Generalem.

Mirè (*l*) laudarunt eundem librum graviſſimi inter Sinas Doctores Paulus, Leo, Michael, Petrus Philippus, Ignatius, Thomas, Mat-

(i) *In proœmio ſcientiæ Sinicæ.*
(k) *Paragr.* 12. *pag.* 108......109.
(l) *Ibidem.*

Matthæus, aliique in Sinenſi Eccleſia tam celebres.

Simul atque diſſeminatus fuit hic liber (inquit P. Couplet) (m) *primùm quidem per manus tot virorum litteris, & dignitate illuſtrium, qui degebant in aula; deindè verò per cæteras Imperii Provincias, Urbes, & oppida, tantam excitavit in animis fermè omnium admirationem, æſtimationem, reverentiam ſacro-ſanctæ Legis, ac nominis Europæi, ut nihil frequentiùs, ubi de lege noſtra ſermo eſt, hodièque audiatur, quàm* Limatheo, *id eſt Riccius Matthæus, primus illius in Aula Annunciator.*

Quin imò nomen hoc, & adventus tanti viri in Chinam jam in Urbium Imperii memoratur annalibus, & poſtquàm is anno ab operis editione ſeptimo, in Regia Pekinenſi diem obiit, attributa ei fuit portio non exigua Pekinenſis agri ad honorificam ſepulturam, idque juſſu ipſiuſmet Imperatotis, at-

(m) *Ibidem pag.* 109.

atque diplomate. Et verò hiſtoriæ Sinenſes teſtātur non obſcurè Chriſtum promiſiſſe, ſicut Romæ olim Ignatio; ita ſe Pekini propitium fore Riccio; quod eventus demonſtravit.

Cùm igitur vir talis, ac tantus, Europæis, Sinēſibuſque litteris adeò excultus poſt 27. annorum ſtudium, & examen manifeſtè docet: (n) *Sinenſes neque in Confucio, neque in Progenitoribus ullam Numinis partem agnoſcere, nec ab iis quidquam aut petere, aut ſperare; in hoc obſervantiam ſuam ſtatuere, ut mortuis obſequantur Majoribus, ac ſi eſſent ſuperſtites; imò ex aſſertione multorum, ritus, quibus illos colunt, inſtitutos eſſe magis in vivorum gratiam, quàm mortuorum; ut ſcilicet filii, & alii rudiores doceantur quâ ratione vivis parentibus obſequendum, quos viderint etiam vitâ functos à graviſſimo, & ſapientiſſimo quoque tot officiis honeſtari: ac proindè ca-*

(*n*) Loco priùs citato.

cæremonias illas videri ab omni ſacrilegi cultûs ſcelere alienas. Cum ita loquitur vir ille planè mirabilis, & quod multum eſt, Reverendiſſimo Domino Maigrot reverendus, & quidem in commentariis ante 80. annos editis, quis Romæ majorem ei fidem non adhibeat in hac facti quæſtione, quàm R. Domino Maigrot in Sinicis ſcientiis valdè mediocri, ut alia omittam quam plurima, quæ ſuſpectam in hoc negotio reddunt ejus fidem, vel prudentiam?

Cùm enim Sinæ dicuntur nihil aut ſperare, aut petere vel à Confucio, vel à Majoribus, hæc non ſignificant nullum eſſe Sinam qui hoc faciat. Ut cùm olim dicebatur unum à Judæis Deum coli verum, ac vivum, tam frequens multorum ex illis Idololatria in excelſis non tollebat ſuam huic dicto veritatem. Iſtis enim verbis tantùm exprimitur hanc eſſe fidem, & legem Judæorum, cui obedientes Judæi unum colunt Deum, licet

cèt in hac gente, ſicut & in alis, reperti ſint, qui ex mentis pravitate à patriis inſtitutis receſſerint. Sic rudium inter Catholicos fortè multorum ſuperſtitiones circà cultum Imaginum, & alia myſteria non prohibent, quin veriſſimè dicatur cultum Imaginum nihil apud Catholicos ſuperſtitionis habere, ſed eſſe pium, & Deo gratum. Eſt enim ibi quæſtio de cultu legibus præſcripto, non de cultu privatorum erroribus, & ritibus vitiato. Propoſitiones enim hujuſmodi ſunt indefinitæ, non univerſales, ut ſapienter notavit P. Dominicus à S. Petro ſæpè laudatus.

Quid ergo, ſi idem cum Patre Riccio circà cultum Confucii, & Progenitorũ ſenſerint tot alii Evangelicæ Legis Miniſtri in Sinenſibus litteris non minùs, quàm ille, eruditi, inter Sinas etiam diutiùs converſati, ac propriâ experientiâ edocti?

E multis paucos enumero. P. Alphonſus Vagnoni plures quàm vigin-

ginti tomos, vulgavit de Doctrina Chriſtiana, de vita, ac morte Chriſti Salvatoris, de vita B. Virginis, de vitis Sanctorum, de noviſſimis.

P. Emmanuel Diaz ſcripſit in Evangelia totius anni. P. Julius Aleni typis vulgavit vitam Chriſti octo tomis diviſam; tractatum unum de Incarnatione; alium de Sacrificio Miſſæ; tertium de Sacramento Pœnitentiæ; quartum de exiſtentia Dei, pluresque alios. P. Jacobus Rho 49. edidit volumina de variis argumentis, tàm piis, quàm mathematicis: litteras ille Sinicas mirè callebat. P. Joannes Adamus Schall centum, & quinquaginta libellos ſcripſit, quos in 14. volumina redactos P. Proſper Intorcetta obtulit Clementi X. cujus juſſu in Bibliotheca Vaticana ſunt repoſita; octoginta tomos compoſuit Pater Ludovicus Buglius ſummo labore, & incredibili fructu; nimirùm ſex de Deo, & attributis divinis, tres de Sancta Tri-

Trinitate, ſex de Incarnatione, quinque de Angelis, ſex de anima, ſanctæ Legis compendium; Apologiam contrà Adverſarios ſanctæ Legis.

Pater Didacus Pantoia unus ex antiquis Miſſionariis ſcripſit de Fidei Symbolo, de ſeptem peccatis capitalibus; contrà Atheos de exiſtentia Dei, de Angelis bonis, & malis; de creatione hominis, & peccato originali.

Longior ſim, & importunus, ſi appellare ſingulos velim, eorumque opera Sinicè ſcripta. Tabulam edidit Pater Philippus Couplet anno 1681. in qua centum, & ſex Miſſionariorum è Societate nomina apud Sinenſes recenſet, ingreſſus illorum in Sinam, prædicationem, mortem, libros Sinicè editos. Fuerant tunc temporis inter illos ſcriptores jam quadraginta, ex quibus Ferdinandus Verbieſt, quem etſi adeò celebrem omiſeram, vulgavit tomos omninò ſeptuaginta.

Cum

Cum itaque circà quæſtionem facti de cultu Sinenſi Confucii, & Progenitorum, an juxtà Sinarum mentem ſit civilis, an religioſus, audimus tot inſignes, ac eruditos Authores in Sinenſium ritibus, ac diſciplinis poſt 20. 30. 40. & ampliùs annos converſationis cum Sinenſibus, commorationiſque in Sinarum Imperio: cùm, inquam, nos in Europa audimus illos aſſerentes cultum, de quo eſt quæſtio, merè politicum eſſe, ideòque Neophytis permittendum, ne ſine gravi, & juſta cauſa claudatur janua ſalutis, & fidei innumeris planè Sinis, qui ſuarum Legum retinentiſſimi, hujuſmodi cæremoniis gratitudinis ergo ſic adhærent, ut avelli ab iis vix, ac ne vix poſſint, cujus momenti, ac ponderis eſſe poteſt opinio Reverendiſſimi Domini Maigrot, qui definit ceſſandum potiùs eſſe à prædicando Sinis Evangelio, quàm permittendos illis hos ritus, quos tot viri, tamque in cæremoniis Sinarum, ac

ac litteris eruditi politicos ſolùm cenſent ac civiles.

OBSERVATIO IV.

Non modò Sinicis litteris fuerunt inſtructi, qui Sinenſes ritus examinarunt: ſed etiam Philoſophicis, & Theologicis diſciplinis exculti.

DIXI quartò hos Evangelii Miniſtros non Sinarum modò ſcientiis, ſed etiam Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis fuiſſe excultos, ideòque perfectè intellexiſse quis ſit cultus religioſus, quis civilis, & politicus; quid Templum propriè dictum, quod orationis domum Chriſtus appellabat; quid impropriè, & latè, ut cùm dicitur Templum Eloquentiæ, Templum Sapientiæ; Quid verum Altare, quid metaphoricè dictum, ac per aliquam ſimilitudinem externam; Quid ſacrificium proprium; Quot

Quot ſint ejus partes ; quæ materia ; quæ forma , quis finis ; quis Miniſter : quis locus ; quid verò ſacrificium impropriè , & latè per figuram , aut vocis defectu ſit appellatum ; ſanè cùm hæc & alia multa leguntur in libris , ac tractatibus Patrum Sinenſium , ſive ex Societate , ſive ex ſacro Ordine S. Dominici , vel his de controverſiis ſcribentium , vel ſuper illis conſultorum , ac reſpondentium manifeſtè conſtat eos loqui ut Magiſtros , nec ſine cognitione cauſæ ſe dare reſponſa , atque propoſitos caſus reſolvere.

Edita ſunt anno 1680. quæſita Patrum Dominicanorum , qui erant in Tunkino , & reſponſa Reverendi P. de Paz , qui fuerat ab illis ſuper cultu Confucii , mortuorumque Progenitorum conſultus . Qualis autem is fuerit , in fronte operis ſic explicatur . *R. P. de Paz diù Theologiam docuit Manilæ in Collegio S. Thomæ Aquinatis , Primarius ibi Profeſſor , ac ſtudiorum Præ-*

Præſes, & caput; ejuſdem Collegii, at Univerſitatis Cancellarius, ac bis Rector; celebris Conventus Manilenſis ob ſuam ſingularem regularis vitæ obſervantiam, virtutem, maximeque in miſeros & egentes charitatem, ter Prior electus: ſed ob profundam quoque doctrinam in toto Oriente à Collegiatis Eccleſiis, à Sæcularibus, Regularibus, à ſupremis Tribunalibus, & à Vicariis Apoſtolicis paſſim conſultus, audituſque cum reverentia tanquàm oraculum. Hæc de Patre de Paz in libro citato.

Cùm ergo vir talis, ac tantus docet *ſe pro certo habere Confucium juxtà communem Sinarum opinionem non coli ut Deum, neque poteſtatem in eo agnoſci humana ſuperiorem*: cùm addit *ſe id certò ſcire ex multiplici relatione Religioſorum ſui Ordinis in Sina degentium*. Cum id probat, ut infrà dicemus, ex pluribus factis, quorum teſtes oculatos citat Patres Dominicanos; cùm audimus illum

tam affirmativè pronunciantem non eſſe Idola apud Sinas, nec Progenitores, nec Confucium; quam habere fidem poſſumus Domino Charmot contrarium affirmanti.

Qui attentè leget tractatum, quem R. P. Dominicus Sarpetri ex ſacro quoque Prædicatorum Ordine compoſuit de cultu Confucii, & Progenitorum, continuò his intelliget hunc fuiſſe ſolidum, & præſtantem Theologum, ac Philoſophum: etſi aliundè non conſtaret docuiſſe illum cum plauſu Philoſophiam Panormi, ibique approbatum eſſe ad docendam Theologiam, antequàm tranſiret ad Indias, & Chinam perveniret; ubi per 30. ferè annos, ut dictum eſt, in agro Domini laboravit.

Hic pius, ac doctus Evangelii Miniſter videtur præſenſiſſe, ac præoccupare voluiſſe Achillem Domini Maigrot, qui tàm ſæpè quaſi triumphans, repetit Jeſuitas ipſos ſuam de cultu civili Confucii, Progenitorumque ſententiam propone-

re,

re, ut probabilem. Theologus enim ille quaſi anticipatâ reſponſione impensè commendat ex hoc capite modeſtiam Jeſuitarum, qui in conventu Cantonienſi, ubi ipſemet aderat cum duobus aliis Dominicanis, atque uno Franciſcano, ad vitandas rixas, ad conciliandos animos, ad inducendam uniformitatem non aliud exegerunt, quàm ut ſua ſententia diceretur valdè probabilis, cùm hoc aliundè judicarent omnes ſufficere tum ad probandam Pontificii Decreti æquitatem, tum ad inferendum claudi non debere januam ſalutis innumeris Sinenſibus, ut reipſa clauderetur, prohibito illis civili cultu Confucii, Progenitorumque.

Cæterùm probare intendit in ſuo tractatu, probatque efficaciter, etſi ejus argumentis multa poſſint alia ſubjungi, non modò ſententiam Jeſuitarum eſſe valdè probabilem, non modò eſſe oppoſitâ probabiliorem, ſed tanto etiam exceſſu, tamque manifeſto ſuperare proba-

bilitatem oppoſitæ ſententiæ : ut dici debeat contrarià opinione aliorum evidenter probabilior tam intrinſecè, quàm extrinſecè. Hæc R. P. à Sancto Petro Dominicanus.

De Societatis Miſſionariis poſſum affirmare in genere, paucis exceptis, fuiſſe peroſque omnes Societatis Profeſſos, dignoſque proindè Theologorum ſaltem trium jurato teſtimonio, qui Philoſophiam, ac Theologiam cum laude docerent. Et verò plurimi ex illis interpretati fuiſſent in Europa Philoſophos, ac Theologos, niſi ad majorem Dei gloriam maturè fuiſſent applicandi Miſſionibus.

Alphonſus Vagnoni, qui tam multa Sinicè ſcripſit, antequàm ex Europa diſcederet, triennio integro Mediolani Philoſophiam docuerat, optimus ipſe Theologus Joannes Monteiro non Philoſophiam modò, ſed & Theologiam priuſquàm ingrederetur Sinas, ubi de Deo, de vero, & falſo cultu, de

d vina

divina lege Sinico Idiomate plura conſcripſit, & compoſuit. Qui varios legit tractatus de Sinicis his controverſiis ſcriptos à Patribus Intorcetta, Brancato, Gabiano, Fabro, Ferdinando Verbieſt, Philippuccio, aliiſque, non poteſt non advertere illos fuiſſe viros eruditos, & in Theologicis benè verſatos; & quidem inter illos P. Jacobus Faber, ſeu le Favre, olim in Gallia S. Thomam cum laude explicuerat. Suprà jam diximus P. Andream Palmerio, qui Sinas luſtravit Viſitator, probavitque praxim de cultu Confucii, ac Progenitorum jam uſitatam, fuiſſe Doctorem primarium in Academia Conimbricenſi: ut nunc temporis omittam inſignes Europæ Theologos, iiſdem de argumentis à Sinenſi Miſſione poſt accuratam inſtructionem conſultos, eandemque praxim approbantes.

Examinatam nihilominùs tandiù quæſtionem facti, & in cœtibus ferè octoginta approbatam à viris

Apoſtolicis, qui vixerant inter Sinas per annos 20. 30. 40. erantque Sinicis ſcientiis, ac litteris excultiſſimi; atque aliundè boni inter Europæos, Theologi, ſic, inquam, examinatam, & approbatam, non ſolùm novo ſubjiciunt examini, & cenſuræ Reverendiſſimus Dominus Maigrot in Sinicis non adeò verſatus, & Dominus Charmot, qui vix Sinam è limine ſalutavit, ſed & hanc condemnant; poſtulantque Romæ condemnari.

OBSERVATIO V.

Examinatores rituum non modò docti fuerunt, ſed & pii; multi ex illis Chriſti Confeſſores, & aliqui donis extraordinariis inſignes.

DIXI quintò. Viros illos, à quibus approbata eſt hæc quæſtio fuiſſe magnæ pietatis, ac religionis homines; multos ex illis Chriſti Confeſſores, pro Chriſto car-

carcerem, & verbera expertos, aliquoſque donis extraordinariis inſignes. Hinc nimirùm ſapiens quiſq; infert, nec deceptos eſſe, qui tam docti erant, ac prudentes; neque decipere voluiſſe, qui tam pii.

Conſcribendus hic eſſet integer tractatus de Viris Apoſtolicis, qui in Sinenſi vinea à centum & ampliùs annis laborarunt: conſcripſit reipsâ grande volumen de hoc argumento Daniel Bartholi, notus Author, & celebris: pauca decerpemus ad hanc quæſtionem ſpectantia.

Non repeto vixiſſe inter Sinas P. Matthæum Ricci per annos ferè triginta, ibique mortuum eſſe in opinione ſanctitatis, poſt exantlatos pro fundanda illa Miſſione labores propè infinitos. Legi poteſt ejus vita variis linguis non ſemel conſcripta; eſtque glorioſum Italiæ peperiſſe talem virum.

Alphonſum Vagnoni etiam Italum vidit Sina pro annunciata Chriſti lege, (ut ferebant ſcriptum

in tabula Lictores (*o*) præeuntes) vidit, inquam, baculis crudeliter cæſum, incluſum arctâ caveâ portatili, deductumque cum contumelia Nanquimo Macaum uſque, & primis quidem triginta diebus tám durè tractatum, ut raró permiſſus ſit extrà caveam illam dormire: gaudens interim, quia dignus habitus eſt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Qualem autem virum? Vagnonus cùm nullum prorsùs in ingreſſu ſuo reperiſſet cœtum Chriſtianorum, moriens anno ætatis 74. centum & duos in diverſis civitatibus, & oppidis piè, & egregiè ſtabilitos reliquit. Cùm in civitate Chianenſi 25. ſolùm Chriſtianos inveniſſet, decedens auxerat ad octo millia & in iis ampliùs ducentos gradu donatos in ſcientiis, vel Præfecturis Mandarinorum inſignes.

Alvarus Semedo Luſitanus, quem Annales Sinici teſtantur fuiſſe ob-
ſer-

(*o*) *Nathanael Sothuellus, in Biblioth. Scriptorum Societatis.*

ſervantiæ religioſæ illuſtre exemplar, orationi inprimis deditum, paupertatis ſanctæ perſtudioſum; inventus eſt quoque dignus pro nomine Jeſu contumeliam, ac duros labores pati. Anno enim 1617. unà cum Alphonſo Vagnoni ſua quoque ferreà incluſus cavea ignominiosè deportatus eſt NanKimo Cantonem, & inde Macaum relegatus. Unde poſteà mutato nomine, captàque occaſione remeavit in Sinas, ubi ſpatio 46. annorum in ſalutem animarum, Infideliumque converſionem totus incubuit.

Joannes Adamus Schall, cui tot & tanta debet Sinenſis Miſſio, accuſatus & ipſe cum tribus ſociis de Religione Chriſtiana per Sinas diſſeminata, conjectus eſt cum illis in carcere ſqualliſſimum, onerat omnes catenis ferreis, & quidem novenis, ſinguli nimirùm ternis ad collum, ternis ad brachia, totidem ad crura: tanquàm impoſtores per ſex, vel ſeptem menſe

ſes ad diverſa Tribunalia, & ſubindè ad terna uno die à Lictoribus inſolentibus ſunt raptati: donec variis de cœlo prodigiis perterriti Sinæ, nec dubitantes ſanguinem innocentem vindicari, impetrarunt ut domum abſoluti Patres remitterentur.

Stephanus le Favre, (*p*) ſeu Faber; is ipſe fundavit Miſſionem florentiſſimam in Kenſi Deo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Hæc lege in relatione Patris le Conte, qui aliquandiù in eadem Provincia, Miſſioneque ſubſtitit, eaque audivit ſatis adhuc recentia à teſtibus oculatis; viri ſanctitatem mirantibus non minus Idololatris, quàm Chriſtianis.

Patrem ipſum Martinum Martinium, (*q*) quem falſi non accuſatum modò, ſed & tam injuſtè condemnatum defert ad Apoſtolicam

cam

(p) *Pater le Conte tom.* 2. *pag.*224. . . . . 225.

(q) *Ex litteris Patris Intorcetta.*

cam Sedem Reverendiſſimus Dominus Maigrot, Deus ipſe grandi prodigio viſus eſt tueri, & probare quatenus ille vir fuiſſet. Obierat anno Chriſti 1661. & in ſepulchro pro ipſius funere à Chriſtianis fabricato, in loco *Fam-cim* dicto Urbis *Ham-cheu* depoſitus; ibi ad annum 1678. quieverat: cum P. Intorcetta ejus corpus ad novum monumentum pro ſepeliendis vita functis è Societate conſtructum, putavit eſſe transferendum. Aperto capulo, repertum eſt corpus P. Martinii ità incorruptum ex omni parte, cum vultu rubicundo, veſtimentiſque illæſis, ut eum hac eàdem die datum fuiſſe terræ crederes.

Id mirandum magis erat, cum Martinius corpore amplo, & ſuccoſo fuiſſet, interque æſtivos calores animam expiraſſet: quo tempore, eodem die, quo quis moritur, grave olere incipit; ad hæc loci humiditas ingens: nullos tamen aut teter odor, aut aliqua

etiam

iam debiliorum partium læſio, mutationiſque cujuſpiam indicium inventum eſt; non minore ſtupore Gentilium, qui ad hoc ſpectaculum concurrebant, quàm pià, & gratà in Deum Neophytorum devotione, quòd ſervum ipſius, & ſuum olim Magiſtrum vidiſſent ità ab ipſis elementis honoratum. Quid ſentient de Reverendiſſimo Domino Maigrot, cùm audient eumdem hunc P. Martinium fuiſſe ab illo coràm Sancta Sede infamatum?

In conventu Cantonienſi, ubi probati ſunt ritus illi, erant viginti tres Chriſti Confeſſores pro Chriſto exules, & captivi.

Longior ſim, ſi plura dixero de viris illis Apoſtolicis, qui de patria ſua egreſſi, tot emenſi maris pericula, tot paſſi labores, & contumelias, in omni virtutum exercitio, atque in ſalute procuranda Sinenſium, veràque fide propaganda vitam conſumpſerunt.

OBSERVATIO VI.

Non unus aut alter, ſed multì planè hujus meriti Examinatores idem ſenſerunt de Sinenſium ritibus.

DIXI ſextò. Non leve momentum addi huic ſententiæ, ex eo quod non unus, aut alter tantùm, ſed multi planè ſint iſtiuſmodi homines, qui, re examinata, ità ſenſerint. Scribebat anno 1670. R. P. à S. Petro Dominicanus jam fuiſſe plures quàm ſexaginta è Societate Miſſionarios, qui cum P. Matthæo Riccio contenderant, cultum Confucii, & Progenitorum in Sina eſſe quoàd ſubſtantiam merè politicum, & civilem: & aliquos quidem, inquit, ex illis docuiſſe publicè Theologiam in Europæ Academiis.

Docet autem idem ille S. Dominici (r) alumnus quinque hic eſſe

(r) *In 2. parte ſui tract. p.* 305. 306. *in* 2. *tom. P. le Tellier.*

eſſe notanda. Primò. *Patres è Societate diutiùs in Sina habitaſſe, quàm Miſſionarios Ordinum S. Dominici, & S. Franciſci, ideòque præſumi debere, quòd & plus habeant experientiæ, meliuſque norint ritus, ac conſuetudinis Sinarum.*

Secundò. *Societatem in longè pluribus Regni Provinciis reperi, quàm utrumque hunc ſacrum Ordinem: ac proindè potuiſſe ab ea diſtingui faciliùs id quod toti Imperio commune eſt, ab eo quod alicui Provinciæ ſingulare.*

Tertiò. *Jeſuitas ſemper habuiſſe majorem Chriſtianorum numerum; pluresque ideò potuiſſe interrogari ab illis, & haberi conſequenter informationes certiores, & veriores. Navarretta ipſe dicit Chriſtianos aliorum Ordinum eſſe quaſi atomum, præ numero Chriſtianorum, quos Jeſuitæ baptizaverant.*

Quartò. *Eoſdem Jeſuitas ſemper fuiſſe, & etiamnùm in Sina majori numero, quàm utriuſque ſimul Ordinis Miſſionarios; ergo ſi plus*

cre-

credendum oculis, quàm oculo; plus quoque Jeſuitis, quàm aliis.

Quintò. *Jeſuitas ſuos inter Neophytos habuiſſe Colaos, & Doctores magnæ authoritatis, & famæ, qui fuerant Mandarini: potuiſſe ergo Jeſuitas ab iſtiuſmodi viris, qui ritus Sinenſes adminiſtraverant, certiùs diſcere, quinam ſint religioſi, qui civiles.*

Concludit idem P. Dominicus, *etſi omnis comparatio ſit odioſa, nullam eſſe ex his quinque rationibus, quæ ſeorſim ſumpta non det majorem authoritatem ſententiæ Jeſuitarum, quàm habeat opinio contraria; omnes autem ſimul ſumptas dare omninò maximam: præſertim ſi advertatur nullam eſſe aliam viam, quæſtionem illam decidendi, quàm Doctores Sinas conſulendo, quid præſcribant ſuper his ritibus leges ipſorum, ac libri claſſici, & quà intentione illos adhibeant.*

Hæc P. Dominicus Sarpetri, ſeù à S. Petro Dominicanus: quibus

&

& poteſt adjungi, nullum fuiſſe è Societate Miſſionarium; qui non ſenſerit praxim uſitatam eſſe innocentem, ac licitam; etſi inter illos aliqui, ſed pauci, putaverint meliùs fore, ſi vocibus Europæis Deus vocaretur non Sinicis &c. ut P. Longobardus, qui tamen ſemper ſe conformavit aliorum praxi.

OBSERVATIO VII.

Jeſuitarum ſententiæ circà politicos Sinenſium ritus adhæſerunt multi ex ſacro Dominicanorum Ordine docti, & graves Viri.

DIXI ſeptimò. Jeſuitarum ſententiam de civili cultu Confucii, Progenitorumque inde validè omninò confirmari, quòd hanc amplexi ſint ex aliis etiam Ordinibus Viri docti, & celebres; imò Epiſcopi, & in dignitate conſtituti. Aliquos paucis enumero.

R. P. Dominicus Sarpetri, ſeù à S. Petro, de quo pluribus anteà, ſcripſit

ſcripſit primò, epiſtolam de hoc argumento ſatis longam quarta Auguſti anno 1668.

In ea fidem facit, & quatenùs opus eſt juramento confirmat, ſe ſcribere non alterius precibus aut ſuaſu, ſed ſolo veritatis amore impulſum.

Duo autem teſtatur. Primum, *Se ex Superiorum mandato quam potuit maximam diligentiam per octo annorum ſpatium adhibuiſſe, ut de Sinicarum Sectarum ſuperſtitionibus certior fieret, judicareque praxim, quam Patres Societatis Jeſu in hoc Regno Sinarum ſe fatentur ſequi circà permiſſionem, ſeù tolerantiam quarumdam cæremoniarum, quibus Sinæ Philoſophum Confucium, & ſuos Progenitores defunctos venerantur, eſſe non modò tutam, ſed etiam, ſi principia præcipuarum Sectarum expendamus, eſſe oppoſitâ ſententiâ probabiliorem, & ad aperiendam Ethnicis Evangelii januam maximè utilem, ne dicam*, inquit, *ne-*

 ceſ-

ceſſariam. Hoc eſt primum, quod juramento Reverendiſſimus ille P. Dominicanus affirmat ſe ſolo veritatis amore impulſum teſtari.

Secundum. *Fidem*, inquit, *quoque facio, quòd Patres Societatis Jeſu in hoc Regno Sinarum Chriſtum Crucifixum non ſolùm verbo, ſed etiam multorum librorum voluminibus annunciant Ethnicis, & de ſacræ Paſſionis myſteriis ſuos Neophytos diligenter inſtruunt, & in aliquibus Societatis reſidentiis adſunt ſacræ Paſſionis Confraternitates erectæ: & noviſſimè Perſecutor Sanctæ Legis* Yàm-quàm-ſièn *hoc potiſſimum contrà Evangelii Præcones oppoſuit, quòd ſcilicet hominem Crucifixum pro Domino Cæli, & terræ venerantur: quod quidem ex Patrum Societatis librorum teſtimonio comprobavit*. Hæc R. P. Sarpetri in hac prima Epiſtola, quæ recèns typis edita eſt uti ea, de qua proximè hic agitur.

Scripſit aliam ſecundo Novembris

bris 1668. ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide; ubi & idem confirmat de cultu merè civili, atque politico Confucii, Progenitorumque; additque ſperare ſe Rev. P. Navarrettam, poſt ſolutas à Jeſuitis aliquas objectiones, nomine ſui Provincialis Vincentii Prot approbaturum hanc praxim, eique ſententiæ ſubſcripturum: quod reverà paulò poſt contigit.

Denique compoſuit idem Reverendus P. tractatum ſimiliter typis editum, in quo vindicat articulum quartum conventûs Cantonienſis circà cultum Confucii, & Progenitorum politicum, & civilem, Neophytis permittendum, cui ipſe R. P. Navarretta, ſicut & reliquis, cum omnibus Evangelii Miniſtris Cantonem relegatis, verè ſubſcripſerat.

In eo tractatu R. P. Sarpetri docet primò, Jeſuitas ex modeſtia, & ſtudio concordiæ ſuam ſententiam dixiſſe tantùm valdè proba-

ceſſariam. Hoc eſt primum, quod juramento Reverendiſſimus ille P. Dominicanus affirmat ſe ſolo veritatis amore impulſum teſtari.

Secundum. *Fidem*, inquit, *quoque facio, quòd Patres Societatis Jeſu in hoc Regno Sinarum Chriſtum Crucifixum non ſolùm verbo, ſed etiam multorum librorum voluminibus annunciant Ethnicis, & de ſacræ Paſſionis myſteriis ſuos Neophytos diligenter inſtruunt, & in aliquibus Societatis reſidentiis adſunt ſacræ Paſſionis Confraternitates erectæ: & noviſſimè Perſecutor Sanctæ Legis* Yàm-quàm-ſièn *hoc potiſſimum contrà Evangelii Præcones oppoſuit, quòd ſcilicet hominem Crucifixum pro Domino Cœli, & terræ venerantur: quod quidem ex Patrum Societatis librorum teſtimonio comprobavit*. Hæc R. P. Sarpetri in hac prima Epiſtola, quæ recèns typis edita eſt uti ea, de qua proximè hic agitur.

Scripſit aliam ſecundo Novembris

bris 1668. ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ; ubi & idem confirmat de cultu merè civili , atque politico Confucii , Progenitorumque ; additque ſperare ſe Rev. P. Navarrettam , poſt ſolutas à Jeſuitis aliquas objectiones , nomine ſui Provincialis Vincentii Prot approbaturum hanc praxim, eique ſententiæ ſubſcripturum : quod reverà paulò poſt contigit.

Denique compoſuit idem Reverendus P. tractatum ſimiliter typis editum , in quo vindicat articulum quartum conventûs Cantonienſis circà cultum Confucii ; & Progenitorum politicum , & civilem, Neophytis permittendum , cui ipſe R. P. Navarretta , ſicut & reliquis, cum omnibus Evangelii Miniſtris Cantonem relegatis ; verè ſubſcripſerat.

In eo tractatu R. P. Sarpetri docet primò, Jeſuitas ex modeſtia, & ſtudio concordiæ ſuam ſententiam dixiſſe tantùm valdè proba-

bilem in eo conventu, ubi aderant aliorum Ordinum Religioſi.

Secundò, addit, hanc eorum ſententiam de hujuſmodi ritibus dici debere non modò probabiliorum, ſed etiam evidenter probabiliorem oppoſitâ ſententiâ.

Tertiò. Diſtinguit dupliceaprobabilitatem; aliam intrinſecam in rationibus fundatam; aliam extrinſecam authoritate, & numero Doctorum Catholicorum ſubnixam.

Tum probare aggreditur in prima tractatûs parte ſententiam Jeſuitarum probabiliorem eſſe ab intrinſeco: in ſecunda verò parte eandem eſſe ab extrinſeco probabiliorē.

In prima tractatûs parte duo ſtatim ſupponit, & explicat, Primum. In quo differant ſignum naturale, & ſignum ex inſtituto. Secundum. In quo differant virtutes illæ, quæ dicuntur à Theologis Religio, pietas, & obſervantia: additque non eſſe confundendos actus pietatis, & obſervantiæ filialis erga ſuos parentes cum actibus religioſis erga

Deum,

Deum, niſi placeat confundere cultum civilem cum religioſo, quod nefas eſt.

Definit poſteà quid ſit ſacrificium: quid ſit cultus religioſus: tum affirmat tanquàm certum, habitâ ſaltem directæ Sinarum intentioni ratione, neque Litteratos, neque filios intendere, dum offerunt alii Confucio, alii Progenitoribus id quod vocamus *Cy*, ullam Numinis partem, neque ſanctitatem ſupernaturalem agnoſcere vel in Confucio, vel in Progenitoribus, quos neque ut Numen *Xãm-tí* venerantur, neque ut *Xing. Tien.*

Aſſerit deindè probari validiſſimè Sinas indirectè quidem aliquid hujuſmodi intendere, nihilque aliud velle, quàm ut his ritibus præſtent ſe memores, ac gratos erga Confucium, & Progenitores ob acceptam à primo doctrinam, ab aliis vitam. Putat autem Reverendus Pater id ſe probare manifeſtè primò ex natura, & differen-

tiis oblationum, quæ in China *Cy* dicuntur.

Secundò. Ex propria Sinarum Politia, quia in tres Ordines Imperium dividitur. Hos autem ille confundit, qui vult omnem ſpeciem oblationis *Cy*, eſſe vel ſacrificium, vel cultum religioſum.

Tertiò. Ex Litteratorum Sectæ principiis. quibus planè improbatur mos aliquid poſtulandi in cæremoniis *Cy*. Id probat Reverendus Pater, tum ex libris *Kia li*, & *Li-Ki*, tum ex Ritualibus, in quibus cæremoniæ illæ præſcribuntur tam pro Confucio, quam pro Majoribus. Illæ autem conferuntur cum his conviviis, quibus in Sina Magnates excipiuntur, quorumque materia in iiſdem Ritualibus determinatur: Unde mutatis in eodem Regno lapſu temporis conviviorum ritibus, mutati ſunt & ritus erga Confucium, & Progenitores.

Quartò. In iiſdem Ritualibus, librisque omnibus, ubi ſit mentio il-

illorum rituum, fit quoque mentio, & motivi, ſeu finis qui intenditur; nempè gratitudo ob acceptam à Confucio doctrinam, à Progenitoribus vitam. Unde vocant ſuum illud *Cy Hiao*, aut *Paò-puèn*: nullibi apparet motivum Religionis.

Quintò. Id etiam probat R. P. ex Atheiſmo, quem in China tam communem vult eſſe Reverendiſſimus D. Maigrot, quique reverâ multos inficit, etſi non omnes, ut ipſi placet. Hos verò Atheos certum eſt nihil Numinis agnoſcere nec in Confucio, nec in Majoribus. Undè rident, & damnant Bonzios Idololatras, dum in ſuorum celebratione rituum ſuas addunt ſuperſtitiones.

His, & aliis hujuſmodi pluribus explicatis, ſic concludit R. P. Sarpetri Dominicanus. *Mihi videtur, & idem certò videbitur iis omnibus, qui abſque præjudiciis fundamenta ſententiæ Jeſuitarum cum fundamentis oppoſitæ ſententiæ con-*

ferent, ſolo impulſi ſtudio veritatis; mihi, inquam, videtur ſententia illa de ritibus politicis eſſe ſine ulla comparatione in ſe ipſa probabilior contrariâ opinione. Prima enim ſententia fundatur quaſi in forma ipſa rituum, quibus diſtinguuntur; ſecunda verò in ſola materia, quæ ſe habet tantùm ad illos, ut accidens.

Deindè aggreditur eorum, quæ opponi poſſunt, confutationem; de legitima P. Martinii informatione refert quæ anteà citata ſunt; probat demùm ut ab intrinſeco, ſic etiam ab extrinſeco ſententiam Jeſuitarum eſſe probabiliorem. Etſi autem ſatis appareat illum ex reverentia aliquorum ex ſacro illo Ordine aliter opinantium ſic eſſe locutum, ne nimiùm illos offenderet: ſatis tamen indicat ſententiam illam de ritibus politicis eſſe tam benè fundatam, ut nonniſi levem relinquere poſſit in homine benè inſtructo formidinem.

Hic benè notavit Pater le Tel-

lier plus à Patre Sarpetri effectum eſſe, quàm neceſſe ſit ad vindicandam praxim Jeſuitarum: non enim ſolùm probavit ritus in accipiendis gradibus permiſſos, eſſe merè politicos, ſed etiam ſolemniores, qui extrà tempus graduum adhibentur in honorem Confucii, fueruntque nunquàm à Jeſuitis permiſſi, etſi non putarent eos eſſe illicitos quoad ſubſtantiam.

R. P. Joannes de Paz Dominicanus (de cujus doctrina, & virtutibus ſuprà in reſponſis ad quæſita Miſſionariorum TunKinenſium) unum ſupponit; *quòd ſi Confucius in Regno Tunkini communiter ut Deus haberetur, aut Idolum, aut potens hominibus auxilium, aliaque bona præſtare, neutiquàm eſſet licitum reverentiam aliquam ei exhibere, quia qualibet veneratio, aut reverentia ei à Chriſtiano exhibita, eſſet approbatio quædam divinitatis ei à Gentilibus attributæ; omnis enim reverentia quæ exhibetur ei, qui ut Deus in* ee-

eodem Regno communiter colitur, præſumitur divinitatis titulo facta.

At certum, inquit Pater de Paz, *exiſtimo, quòd in Regno Tunkini Confucius non colitur ut Deus communi Gentilium acceptatione. Hanc aſſertionem colligo ex eo quòd in Regno Sinæ, in quo floruit Confucius, ejuſque doctrina in majori fuit, ac eſt veneratione, & ex quo ad TunKinum Regnum, aliaſque vicinas Provincias emanavit, non attribuitur Confucio divinitas, aut poteſtas aliqua ſuperior, communi hominum ibi habitantium exiſtimatione. Hoc mihi conſtat ex variis relationibus Religioſorum noſtri Ordinis in Regno Sinæ aſſiſtentium.* Hic nota teſtimonium Reverendi Patris de Paz eſſe multis æquivalens. Sic autem id probat.

Quia primò. Referunt quòd Chriſtianos facientes proteſtationem coràm Gentilibus, quòd non credunt in Confucio divinitatem, aut poteſtatem aliquam, ſed illum præciſè venerantur ut Magiſtrum, audiunt

diunt Gentiles ſine indignatione. Si in Regno Sinæ communiter exiſtimaretur, Confucium habere divinitatem, aut poteſtatem humanâ ſuperiorem ad eis auxiliandum; abſque dubio Gentilium perturbatio oriretur, ex eo quòd in publico hujuſmodi poteſtas, vel divinitas denegaretur Confucio, ſicut contigit Epheſi. Cum enim audiſſent Gentiles D. Pauli doctrinam negantis eſſe veros Deos, quos Gentiles venerabantur, tota Civitas irâ, ac indignatione ferbuit. Act. 19. Repleti ſunt irâ, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Epheſiorum. Si Gentiles Sinæ ut Deum haberent Confucium, vel ab eo bona, vel auxilium ſperarent, credibile non eſt ut ita patienter ferrent, ut coràm eis ei divinitas, omniſque poteſtas denegaretur.

Quia ſecundò. Sinæ Chriſtiani regulariter non audent negare Confucio reverentiam, quæ ei tanquàm Magiſtro exhibetur, timentes murmurationem, & indignationem Genti-

tilium ; & ne forſan ob hanc cauſam eis gradus denegetur ; & tamen non timent ei denegare divinitatem, omnemque poteſtatem ad auxiliandum eis. Hæc enim ratio urgenter probat, quòd in Regno Sinarum vel Lege Regni, vel generali acceptatione exhibetur Confucio reverētia, tanquàm Magiſtro, quam omittere nequeunt abſque gravi nota animi ingrati, ac inobedientis Legibus Regni. Et ſimiliter oſtendit, quòd nec communi acceptatione, nec Lege Regni datur Confucio cultus religioſus, neque divinitas, neque poteſtas aliqua ei attribuitur.

Quia tertiò. Referunt noſtri Religioſi in prædicto Sinæ Regno habitantes, quòd cùm quidam Chriſtianus coràm pluribus Infidelibus proteſtationem feciſſet, ſe reverentiam exhibere Confucio præcisè ut Magiſtro nullamque agnoſcere in eo divinitatem. Infideles proteſtatione Chriſtiani ad riſum excitati dixerunt. Forſan aliquis noſtrum Deum exiſtimat Confucium, aut in eo pote-

teſtatem hominibus auxiliandi fatetur? Homo fuit ſimilis nobis, & illum ut Magiſtrum veneramur ob excellentem doctrinam ab eo nobis relictam.

Quia quartò. Referunt iidem, haberi quidem ingratos à Sinis Chriſtianos, qui hunc cultum non exhibent Confucio, non tamen impios, aut irreligioſos.

Subjungit deindè alia, & ſic concludit. *Neceſſariò ex dictis ſequitur Confucium juxtà communem Sinarum perſuaſionem non haberi ut Deum; neque credi hunc aliquid poſſe.*

Hæc R. P. Joannes de Paz. Notandum eſt autem primò, Doceri ab illo contrà Reverendiſſimum D. Maigrot, & D. Charmot non modò tanquàm probabile, ſed tanquàm certum, non coli à Sinis Confucium ut Idolum. Secundò. Certitudinem illius utique moralem fundari in diverſis Dominicanorum relationibus. Relationes Jeſuitarum longè plurium iſtis adjun-

ctas hanc mirè augere certitudinem. Quartò. Concludi ab illo certum eſſe, quòd ritus ad ſuſcipiendos gradus adhiberi in China ſolitos licitè poſſint adhibere Chriſtiani, ut potè merè civiles, & politicos. Quintò. Id certò de iſtis ritibus doceri ab eodem Patre; etiamſi ſolemnes, quibus bis in anno honoratur Conſucius, poſſent dici Sacrificia, quod ille non examinat, quodque R. P. Dominicus à S. Petro, ut potè in Sinis exiſtens, & rem quaſi manu palpans, ſapienter negat. Sextò, Fundari R. Patrem de Paz in Decreto Sacræ Congregationis ad quæſita Patris Martinii, de quibus aliter ſentit, quàm Reverendiſſimus Dominus Maigrot. Cùm enim in eo Decreto ſtatuatur, poſſe tolerari Sinas converſos adhibere cæremonias propoſitas in honorem Progenitorum, ſublatis tamen ſuperſtitioſis, idem concludit de ritibus erga Confucium ad ſuſcipiendos gradus. Septimò. Quantò magis

id

id doceret, ſi vidiſſet cum Reverendo Patre à S. Petro, totque è Societate Miſſionariis longè probabilius eſſe, quòd ſolemnes illi ritus ſint quòd ſubſtantiam ſolùm civiles, & politici? Octavò. Quod de Confucio docet R. P. de Paz, potiori jure docet de mortuis Progenitoribus, quòd non habeantur ut Idola.

Diſpunctor, ſeu Dominus Charmot fatetur P. Dominicum Sarpetri, P. Joannem Baptiſtam de Paz, & Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum Gregorium Lopez Dominicanos, ſtetiſſe cum Miſſionariis ex Societate, pro ritibus Alexandri VII. Decreto permiſſis; cùm id negare non poſſit, ob tractatus hoc de argumento ab illis editos, & ad Sacram Congregationem miſſos: ſed hoc ipſum neget de quatuor aliis, qui ſequuntur, cùm id ſolùm affirmarit obſervationum Author ex privatis illorum litteris ad aliquot Societatis

tis Patres, & hos quidem inſignes viros, qui teſtatum hoc reliquerunt.

Fundatur autem is potiſſimùm in Scripto latino, quod confectum ait Author Moralis practicæ anno 1661. ab octo Dominicanis, inter quos tres hic nominatos docet eſſet numerandos, nempè Patres Garciam, Timotheum, & Coronado. Verùm etſi ſumma ſit apud Dominum Charmot Moralis practicæ authoritas, cùm jam certò conſtet multa Moralis hujus Authorem venditaſſe tanquàm certiſſima, & indubitata, quæ tamen erant falſiſſima, non eſt tanti illa apud me ponderis, ut ab obſervationum Authore putem propterea omittendos hîc illos eſſe tres Dominicanos.

Et verò quàm audacter falſa pro veris Moralis practicæ Author proponat, putamus conſtare ſatis poſſe vel ex una illa Catholica querimonia, quam direxit ad Innocentium XI. Illuſtriſſimus, & Reve-

verendiſſimus Epiſcopus Malacitanus Ildephonſus à S. Thoma, ex ipſo Ordine Prædicatorum aſſumptus, in qua publicè conqueritur ab iſto Authore tributum ſibi, ac impoſitum fuiſſe librum famoſum, cui titulus eſt, *Theatrum Jeſuiticum*, ex quo Moralis practica quoàd maximam partem conflata erat. Et id quidem factum fuerat *argumentis*, uti contendebat is qui impoſuerat, *manifeſtis*. *Quis ſit Author libri, cui titulus*; Theatrum Jeſuiticum, *& qualis fuerit occaſio eum in lucem emittendi*, ſic loquebatur impoſtor, *jam manifeſtum eſt, fuiſſe illum doctum, ac probum Religioſum Ildephonſum à S. Thoma, &c.* Ita videlicet pro manifeſtis, id eſt certò, & indubitanter veris habentur ab Authore Moralis practicæ, quæ poſteà deteguntur certò falſiſſima. Hunc tamen heroem, ac ducem ſequi ſe in multis gloriatur Dominus Charmot.

Ignoſcat itaque obſervationum

Authori, ſi uti jacent, relinquat in ſuo loco trium horum Dominicanorum textus: quemadmodùm & Patris Petri d'Alcala epiſtolam, qui etſi jam aliter ſentiret, quàm olim, circà ritus Sinenſium, ea ibi narrat, quæ adverſariis Jeſuitarum non poſſunt non diſplicere, Sanè quæ bonus ille Senex in citatis à Domino Charmot litteris refert de P. Dominico Sarpetri Dominicano, tam ſunt contraria publicis illis ſcriptis, & tam parùm proptereà fidei merentur, ut fidem quoque adimant iis, quæ affirmat de Dominicanis fato functis.

Porrò Diſpunctor tam facilè negat quæ videntur aliundè certa, & benè fundata, ut in multis videatur fidem facere non poſſe, niſi apud Jeſuitarum adverſarios. *Reſponſionem*, inquit, *non meretur quod ait obſervationum Author de tribus Provincialibus ejuſdem Ordinis S. Dominici, nempe de R. P. Carolo Clemente Gaut, Franciſco de Paula, & Philippo Pardo; eos vi-*

videlicet ſæpiùs ſuis commendaſſe, ut ſe Societatis praxi conformarent juxta Decretum Alexãdri VII. Certò tamen conſtat primò. Id disertè affirmari à Patre Dominico Sarpetri Dominicano, cujus Pater Franciſcus de Paula tunç Provincialis erat, & Commiſſarius S. Officii.

Secundò. P. Philippum Pardo factum poſteà Manilenſem Archiepiſcopum permiſiſſe, ut Manilæ typis ederetur liber Patris Joannis de Paz, de Sinenſium ritibus ex Alexandri VII. Decreto permiſſis, atque permittendis: quid ergo mirum ſi, cùm eſſet Provincialis praxim illam ſuis commendavit? Hoc in ipſo libro legimus.

Tertiò. Anno 1680. P. Baltaſſar de Santa Cruz, Sancti item Officii Commiſſarius, & ſimul Provincialis, hoc idem pro jure ſuo permittit, nempè ut reſponſa Patris de Paz imprimantur. Tunc temporis erat adhuc unicuique ſatis liberum apud Patres S. Dominici

hoc ſentire de ritibus illis , quod magis conſonum veritati videbatur. Unde multi cum Jeſuitis ſentiebant.

Quartò. Et verò idem P. Dominicus, de quo ſuprà, teſtatur ſtatutum fuiſſe ad majorem ſuffragiorum partem in conventu LanKinenſi, ubi ipſe præſens aderat permitti debere ritus illos Chriſtianis. Erant autem in illo cætu tredecim Miſſionarii ex Ordine S. Dominici in unum collecti: habemus itaque Jeſuitis faventes ad minimum ſeptem ex illis, fortè octo, novem, aut decem. Plures ergo numerari adhuc poſſunt, quàm ipſe obſervationum Autor numeraverat. Prodeant itaque qui ſequuntur: ad ea, quæ de Jeſutis Sinenſibus illi ſenſerunt, ſi æquus lector attendat, comperiet longè alia ſenſiſſe de illis, quàm Dominum Maigrot, & Dominum Charmot.

Igitur Rev. P. Joannes Garcias Vicarius Provincialis Ordinis S. Do-

Dominici (*s*) in litteris à ſe datis tũ ad Patrem Julium Aleni 16. Novembris anni 1659. tum ad Patrem Philippum Couplet. 7. Auguſti, anno 1663. Significat *hanc eſſe ſuam mentem, quòd ad converſionem Sinarum hanc praxim ſequi neceſſe ſit, quam adhibuêre Patres Societatis, ſuâque experientiâ edoctum ſe ita ſentire.*

R. P. Timotheus à S. Antonio (*t*) ex eodem ſacro Ordine anno 1660. ſcripſit epiſtolam ad R. Patrem Brancati, in qua ſic loquitur. *Noſtri omnes Patres nunc capiunt methodum, quâ uſa eſt hactenùs, utiturque etiamnum Societas ad fidem in China propagandam, verè eam eſſe, quà utendum eſt. Quòd in principio fuerit diverſitas ſententiarum, id profectum non ex prava ulla intentione, ſed ex mala* in-

(s) *P. Cauplet in brevi relatione oblata Sacræ Congregationi anno* 1688. *Item* Pater le Tellier tom. 1. pag. 127.

(t) *Idem pag.* 147.

informatione. Nunc verò temporis experimur, & quaſi digito palpamus, quid rei ſit. Quare nobis perſuaſum eſt viam illam eſſe ſequendam, quā eſtis ſecuti; aliundè æquum eſt, ut duces noſtros ſequamur.

R. P. Dominicus Coronado, *(u)* & ipſe ejuſdem Ordinis Vicarius Provincialis, *vehementer optarem, inquiebat* ad eundem P. Brancati ſcribens, anno 1661. *colloqui poſſe cum R.V. ſuper iis argumentis, de quibus diſputatum eſt. Veſtra enim ſola authoritas plus apud me habet ponderis, quàm illatæ contrà rationes.* Ita pius ille Confeſſor, qui paucos poſt annos mortuus eſt ex doloribus, atque incommodis, quæ incarceratus pro Chriſto cum Padre Adamo tam fortiter ſuſtinuit.

R. P. Petrus d'Alcala (x) ex ſacro eodem Ordine ad P. Proſperum Intorcetta ita ſcribebat 31. Martii anno 1680. ubi primùm audi-

(u) *Tom.* 1. *Patris le Tellier. pag.* 148.

(x) *Ibidem pag.* 149.

diviſſet, quid contrà Patres Sinenſes Pater Navarretta ſparſiſſet. *Deus ſcit quantùm ex hoc libro doloris ſenſerim; quàm fuerim indignatus: ſi ita liceret, proprio ſanguine quæ ſcripta ſunt hæc delerem. Faxit Deus, ut divina luce colluſtrati ſcientiam conjungamus cum charitate, & diſciplina; alioqui magnis graviter peccandi periculis exponimur. Jam ſcripſi & ad noſtros, & ad alios quantùm laboret in hoc Imperio Societas, cui debemus quòd & poſſimus in eo laborare ad converſionem animarum. Expoſui quantas, & quàm illuſtres hic habeat Chriſtianorum Ecclesias: ita ſemper loquar, & ſcribam; ſcribere enim aliter, vel loqui, eſt cognitæ veritati reſiſtere, adeòque juxtà D. Thomam in Spiritum Sanctum peccare.*

His omnibus addi poteſt authoritas trium Provincialium eiuſdem Ordinis, nempè R. P. Caroli Clementis (y) Gant, Franciſci de

(y) *Ibidem.*

Paula. & P. Philippi Pardo, qui ſepiùs ſuis commendarunt, ut ſe Societatis praxi conformarent, juxtà Decretum Alexandri VII. Ita teſtatur R. P. Dominicus à ſancto Petro, tom. I. pag. 151.

Hæc omnia ſcribens ad Apoſtolicam Sedem diſſimulavit Reverendiſſimus D. Maigrot, diſſimulat, & D. Charmot.

Non eſt omittendus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Gregorius Lopez Epiſcopus primò Baſilitanus, Vicarius Apoſtolicus, NanKinenſis Epiſcopus. In litteris ex Inſula Manilenſi ad Eminentiſſimos Cardinales Scriptis tertiò Idus Junii anni 1684. & in Archivio Sacræ Congregationis de Propaganda Fide ſervatis, multa exponit. Primò. *Se reprehenſum eſſe à Provinciali ſui Ordinis, quòd Patribus Societatis Jeſu in Sinis eſſet affectus, & aſſentiretur eorumdem Patrum aliquibus opinionibus, & judiciis circà controverſias cultûs politici, religioſi, & idololatrici, ſectarumque Litteratorum.* Se-

Secundò. *Addit doluiſſe aliquos ex ſuis ipſum Sinam genere, & conſequenter eruditiorem in illis caracteribus & idiomate, & in libris Sinarum claſſicis expeditiorem cunctis Europæis, callentem & enucleantem immenſum caracterum pelagus, & genuinam eorum, ac hieroglyphicam ſignificationem magis penetrantem, extrà eorum Chorum pſallere, & in multis Patrum Societatis* Jeſu *opinioni ſuffragari: cùm amicior inquit, Platone debeat eſſe veritas.*

Tertiò. *Conqueritur ſuos deſideraſſe, ut ille ſeptuagenarius, veteranuſque Sinicæ Miſſionis Miniſter, in ſimilibus controverſiis per annos* 40. *verſatus, Tyronum ſequeretur doctrinas, & quaſi vento circumageretur, & non animarum augmentum tantummodò quæreret.*

Quartò. *Affirmat impulſos forſitàn ad illud hos fuiſſe ex libello controverſiarum à ſe nuper edito ex juſſu ſui Prælati, in quibus oſtendit, prædictos ſui Ordinis Miſſio-*

na-

narios torquere in multis, & exterminare ſenſus caracterum ſapientiæ Sinicæ, ſenſu litterali, & tranſlatione; ſeipſos & alios inaniter ſeducentes, & in abyſſum lubricarum ambagum ſe implicantes.

Quintò. *Docet inde tantæ contrà ipſum inimicitiæ fomitem accenſum, ut illum ſui Ordinis Religioſi velut Ethnicum, & Publicanum detreƐtarent*. Multa alia adjungit quæ & terrent, & manifeſtè oſtendunt mirari neminem debere, ſi pauci illi, quos ex ſacro hoc Ordine in ſua Provincia habet Reverendiſſimus D. Maigrot, in iſtis controverſiis nunc Jeſuitis ſint contrarii. Verùm Sacra Congregatio pro ſua prudentia & æquitate judicabit, cujus ponderis poſſint eſſe apud ſapientem quemque hujuſmodi ſuffragia.

Sextò. Reverſus in Sinam idem Reverendiſſimus Gregorius Lopez factuſque PeKinenſis Epiſcopus ad mortem uſque in ſalutem ſuorum Sinarum incubuit, Societatis praxim

xim in eorum converſione approbans, & ſequens; plenus dierum, & meritorum in noſtra domo ſuam animam reddidit Creatori. Habes jam typis editas ejus ad Apoſtolicam Sedem, et ad Sacram Congregationem epiſtolas, uti & tractatum de ritibus Sinenſium,

Itaque non immeritò fuit à me obſervatum ſententiæ Societatis, & praxi circà illos ritus adhæſiſſe multos ex familia Sancti Dominici doctos quidem, & graves viros: adhæſiſſe autem hos manifeſtum eſt ex ſolo ſtudio, & amore veritatis; cùm è contrario mox relata ab Illuſtriſſimo Lopez plus nimio probent, his jam non relinqui circà iſta libertatem opinandi.

Non eſt inutile hic advertere duos illos Evangelii in Sina Miniſtros, Illuſtriſſimum Gregorium Lopez, & Reverendiſſimum P. Sarpetri juſſos eſſe ſpecialiter à ſuis Prælatis in id ſtudii maximè incumbere, ut ritus Sinenſes, de quibus erat quæſtio, diù multùmque exami-

mi-

minarent; poſtque illos diù multùmque examinatos, Societatis praxim, ſententiamque in iis omnibus, quæ erant alicujus momenti, approbaſſe omninò, & amplexos eſſe.

OBSERVATIO VIII.

Viginti duo in conventu Cantonienſi Chriſti Confeſſores, & Miniſtri Evangelii, pro Chriſto exules, ex variis Ordinibus, poſt longum examen idem ſenſerunt de ritibus Sinenſibus.

DIXI 8. Suum locum hic habere poſſe Decretum conventûs Cantonienſis anni 1668. Conſtabat ille viginti tribus Patribus, quorum tres erant ex Sancti Dominici familia, unus ex Ordine S. Franciſci, qui dum examinarentur ritus Sinenſium mortuus eſt, è Societate novemdecim; nam duo ex illis, nempè P. Ignatiùs à Coſta, & P. Michael Trigautius ex

ærum-

ærumnis quoque exilii jam in Cælum evolaverant. Erant illi viginti tres Chriſti Confeſſores, ac ſæviẽte tunc perſecutione pro Chriſto exules: opportunitatem nacti multas habuerunt inter ſe conſultationes de mediis utilibus, & neceſſariis propagandæ in Sinis fidei ubi primùm, Deo protegente, ſibi liceret in Eccleſias ſuas redire. Poſt omnia diù multùmque examinata, tandem convenerunt in condendis ſtatutis 42. quæ ſervari deinceps oporteret ad uſum Sinenſis Miſſionis, Miſſionariorumque uniformitatem.

Quadrageſimum verò primum illud eſt. *Circâ cæremonias, quibus Sinæ Magiſtrum ſuum Confucium: & mortuos venerantur, ſequenda ſunt omninò reſponſa Sacræ Congregationis Inquiſitionis à S.D. N. Alexandro VII. approbata anno* 1656. *Quia fundantur in valdè probabili opinione; cui nulla contraria evidentia opponi poteſt. Quâ poſitâ probabilitate, non eſt occludenda*

denda janua ſalutis innumerabilibus Sinis, qui arcerentur à Chriſtiana Religione, ſi prohiberentur ea facere, quæ licitè & bona fide facere poſſunt, & non ſine graviſſimis incommodis omittere cogerentur. Ita ſtatutum.

Huic ſtatuto, poſt dubia multa propoſita & ſoluta, R. P. Navaretta ſubſcripſit cum aliis, nomine ſui Provincialis, à quo poteſtatē hanc acceperat, ut refert idem P. à S. Petro, qui & ipſe præſens adfuit, ſcripſitque tractatum, de quo ſuprà, ut ſuo Provinciali, Capituloque ſubſcriptionis illius rationem redderet.

Nihil poteſt cogitari ſapientiùs hoc ſtatuto. Nam 1. antequàm fieret, ſeriò examinatum eſt, an eſſet ratio dubitandi de ſufficienti informatione Sanctæ Sedis per Patrem Martinum Martinium, fuitque licitum proponere quæcumque in oppoſitum fingi poſſent: omnibus diſcuſſis, concluſum eſt nullam eſſe legitimam dubitandi rationem.

Hoc conſtat ex teſtimonio R. P. Dominici à Sancto Petro, & ex dictis ſuprà.

Secundò. Definitum eſt ſtandum eſſe circà ritus Confucii, & Progenitorum Sacræ Congregationis reſponſis ab Alexandro VII. anno 1656. approbatis. Digna Chriſti Confeſſorum, & Apoſtolicæ Sedis Miniſtrorum definitio!

Tertiò. Ratio redditur, *Quia fundantur in valdè probabili opinione, cui nulla evidentia opponi poteſt*. Hanc ſuggillat rationem immeritò Reverendiſſimus Dominus Maigrot, quia vel illam videtur non capere, vel capere nolle. Nihil tamen hoc in loco afferri potuit convenientius. Nam his verbis ſufficienter probatur & veritas informationis Patris Martinii, & Apoſtolici reſponſi æquitas, & methodi quam in convertendis Sinis ſecuti erant hactenùs Jeſuitæ, prudentia ac neceſſitas; & aliundè, quàm fieri potuit modeſtiſſimè ſimul & honeſtiſſimè, improbatur

pra-

praxis oppoſita aliquorum, qui aderant huic conventui.

In tractatu R. P. Dominici à S. Petro Dominicani legimus adſcriptum modeſtiæ Jeſuitarum, quòd ſuam de ritibus politicis ſententiam in hoc conventu appellarunt tantùm valdè probabilem: multis ille probat eam eſſe tam ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco evidenter oppoſitâ probabiliorem: quòd plus aliquid adhuc non dicat, prohiberi ſe aliorum, ſuorum præſertim aliter judicantium, reverentiâ, ſatis ſignificat. Nec dubito quin auditis Romæ P. Martinii rationibus tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco petitis, conſtare viſum ſit S. Congregationi, & Apoſtolicæ Sedi, neque Confucium, nec Progenitores apud Sinas eſſe Idola; ſententiam verò de ritibus erga illos politicis tam benè ſolidèque fundari, ut pro convertendis Sinis, & pro fide Chriſtiana in tam vaſto Imperio propaganda judicatum ſit neceſſe, dare Patri Martinio qua-

quatuor reſponſa, quæ continet Sacræ Congregationis Decretum ab Alexandro Septimo approbatum. Demonſtrari facilè potuit Sanctæ Sedi à Patre Martinio, Reverendum P. de Morales Dominicanum, virum aliunde pium, ſed qui in Sinicis ſcientiis erat adhuc Tyro, quando venit Romam anno 1645. nec fuiſſe, neque eſſe potuiſſe tunc ſatis inſtructum de rebus Sinicis, quas è contrario Evangelii è Societate Miniſtri ab octoginta ferè annis tractabant, examinabantque. Sed quidquid ſit de majori evidenter probabilitate, aut morali, ſi placet, certitudine ſententiæ Societatis, dico prudenter omninò Jeſuitas abſtinuiſſe in conventu Cantonienſi ab hujuſmodi terminis; ſatis enim fuit omnes tam Jeſuitas, quàm è S. Dominici Ordine Miſſionarios convenire. 1. Opinionem de ritibus erga Confucium, & Progenitores politicis eſſe valdè probabilem. 2. Claudi januam fidei & ſalutis Sinis innumeris, ſi pro-

 hibean-

hibeantur Chriſtianis ritus illi tanquàm illiciti. 3. Poſitâ eâ hujus ſententiæ probabilitate, non eſſe claudendam hanc januam, neque conſequenter prohibendos illos ritus. His enim tribus articulis, de quibus omnes convenerunt, ſemel ſuppoſitis, non modò prudens eſt & utilis Societatis methodus, ſed videtur fidei inter Sinas propagandæ omninò neceſſaria. Præterea manifeſtè conſtat æquitas Decreti Sacræ Congregationis ab Alexandro VII. approbati. Nam ſi prohibitis erga Confucium, & Progenitores ritibus janua fidei innumeris Sinis clauditur; ſique aliundè claudi illa janua non debet, neque ritus illi prohiberi, ex hypotheſi, quòd ſit valdè probabile ritus illos eſſe ſolùm politicos ac civiles, quid potuit & à Sacra Congregatione, & à Sancta Sede prudentius & æquiùs definiri, quàm, à Patre Martinio Romæ demonſtratâ hujus ſententiæ magnâ probabilitate, permittendas eſſe Sinis

 Chri-

Chriſtianis hujuſmodi cæremonias ſublatis tamen ſuperſtitioſis, ſi quæ acceſſerint, & cautionibus adhibitis, quas Decretum illud præſcribit?

Enimverò in iſtis caſibus ſtandum eſſe pro fidei Catholicæ propagatione, & pro converſione Gentilium, ſemper fuit mens Eccleſiæ; ut patet ex dictis de prudentia in Evangelii Miniſtris requiſita ad Evangelium idem prædicandum. Nam ut longè præterita non revocem, nec procul recedam à præſenti negotio, cum Reverendus P. de Morales Dominicanus propoſuit ſua quæſita ſuper converſione Sinarum, ad materiam uſuræ, ſic reſpondit Sacra Congregatio.

Cenſuit, ratione mutui immediatè & præcisè, nihil eſſe accipiendum ultrà ſortem principalem: ſi verò Sinæ aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodò ratio habeatur qualitatis periculi, & probabilitatis

 ejuſ-

ejuſdem, ac ſervatâ proportione inter periculum, & id quòd accipitur. Ita S. Congregatio ſub Innocentio X. Unde ſic arguo.

Quod liceat aliquid ultrà ſortē accipere, rationi periculi probabiliter imminentis, non eſt opinio pluſquàm probabilis: ut jam ſæpè dictum eſt: certò poſſum affirmare, ſententiam de ritibus Confucii politicis eſſe ſine ulla comparatione probabiliorem: cenſuit tamen Sacra Congregatio non eſſe claudendam januam fidei Sinenſibus, prohibendo ne quid accipiant ultrà ſortem ratione periculi, propter probabilitatem ſententiæ affirmantis id licitum eſſe; ergo in ſimili caſu mens eſt Eccleſiæ ſtandum eſſe pro converſione Gentilium, pro fidei propagatione.

Id ipſum ſæpiùs inſinuat pro eodem illo Decreto de voce *Xing*. Sanctus. *Cæterùm*, inquit, *ſi illa vox in Regno Sinarum habeat latitudinem, cenſuit Miniſtros poſſe illâ uti*, hanc nimirùm tribuere

Con-

Confucio. Item de tabella Imperatoris, quæ colitur in templo Idololatrarum. *Excluſis*, inquit Sacra Congregatio, *ſacrificiis*, & *altari verè* & *propriè dicto*, *cætera quæ redolent tantùm cultum civilem*, *vel poſſunt ad illum reduci*, *cenſuerunt permitti poſſe*.

Hanc regulam manifeſtè tradit Sacra Congregatio in inſtructione Vicariis Apoſtolicis, eorumque Miſſionariis data, dum miſſi ſunt in Indias. *Nullâ*, inquit, *ratione ſuadete illis populis*, *ut ritus ſuos*, *conſuetudines*, & *mores mutent*; *modò ne ſint apertiſſimè Religioni*, & *bonis moribus contraria*. Atqui eo ipſo quòd valdè probabile eſt ritus Confucii, & Progenitorum eſſe merè politicos, evidens eſt illos non eſſe apertiſſimè Religioni, & bonis moribus contrarios, ergo evidens eſt juxtà Sacram Congregationem prohibendos non eſſe Sinis: neque propter hujuſmodi mores, quibus firmiſſimè adhærent, claudendam eſſe il-

 lis

lis fidei januam. Ex his omnibus ſequitur conſtare de æquitate Apoſtolicæ Sedis Decreti, ſeu reſponſi ad quæſita P. Martinii, eo ipſo quòd illius ſententia de ritibus politicis agnoſcitur valdè probabilis: ac proindè ſapienter eſſe expreſſum Cantonienſis conventûs ſtatutum.

De cætero Societas praxim illam ſuam, ex quo acceſſit Sanctæ Sedis authoritas illam approbantis, non ſequitur ut probabiliter ſolùm licitam, in quo errat Reverendiſſimus D. Maigrot, ſed ut certò ac indubitanter licitam.

Habemus etiam præterea falſam eſſe non potuiſſe Patris Martinii informationem: nam quamvis ſupponeretur demonſtratum ab eo ſolùm eſſe ſententiam de ritibus politicis eſſe valdè probabilem, hoc ſufficiebat juxtà mentem Eccleſiæ ad condendum prudentiſſimè Decretum, de non inquietandis circà ritus illos Sinis; nec claudenda illis propterea fidei janua.

Un-

Unde rursùm patet, quàm parùm prudenter, & juſtè viro docto, ſapienti, & maximè pio crimen falſi, & quidem apud Sanctam Sedem impegerit Reverendiſſimus D. Maigrot.

Quid verò Sacra Congregatio ſentiet, cùm, omnibus benè perpenſis, clarè, ut ſpero, intelliget, quàm parùm habere debeat Romæ probabilitatis ſententia Reverendiſſimi Domini Maigrot: & quantùm certitudinis ſententia Jeſuitarum?

OBSERVATIO IX.

Multi Sinenſes docti tam Chriſtiani, quam Infideles ea de re interrogati reſponderunt, ritus prædictos eſſe merè civiles, ac politicos.

DIXI nonò. Magnum momẽtum afferre huic ſententiæ de ritibus politicis, quòd poſt frequens, ac diuturnum examen eam

 iam-

amplexi ſint non modò 20.30.40. & 50. annorum in Sina Miſſionarii, Sinicis litteris excultiſſimi, in Philoſophicis, ac Theologicis eruditi, Viri magnæ pietatis, & aliqui ad prodigium, non unus, aut alter, ſed plurimi, è Societate, ſimul, & ex aliis Ordinibus non pauci; ſed etiam quòd Sinenſes docti tam Chriſtiani, quàm Infideles ea de re ſæpiùs interrogati reſponderint omninò idem; ſe nimirùm nec in Confucio, nec in Progenitoribus quidquam Numinis unquàm agnoviſſe, ideòque politicis tantùm ritibus à ſe coli.

Id primò. Demonſtrant manifeſtè quæ de P. Joanne de Paz ſuperiùs à me relata ſunt, & quæ ſe teſtatur didiciſſe ex relatione Dominicanorum; Litteratos nempè Gentiles non modò non offendi, cùm declarant Chriſtiani ſe in Confucio non Deum aliquem colere, at ſolùm Magiſtrum, ſed etiam liberaliter effundi in riſus, cùm aliquis Chriſtianus id videtur de illis credere. Se-

Secundò. Narrat P. Emmanuel Diaz Vice-Provincialis, quid cæremoniarum erga Confucium ſolemnium Superintendens à ſe interrogatus ipſi reſponderit. Verba ſunt P. Danielis Bartoli in ſua China pag. 75.

Ita prorsùs intelligunt Sinæ, neque ſanè immeritò. Atque id Patri Emmanueli Diaz Vice-Provinciali Sinenſi teſtatus eſt vir quidam primarius ex iis, qui præſunt illi cæremoniæ, quæ ſingulis pleniluniis, ac noviluniis ſolemniter adhibetur. Cùm enim Pater Diaz huic cæremoniæ intereſſe voluiſſet, atque ea quæ fierent omnia oculis uſurpare, quo certiùs deinde ferre teſtimonium poſſet; contigit ut ab eo, quem diximus, primario Viro peteret, quò pertinerent illa odoramenta quæ incendebantur, quò cereus ille, quò panni ſerici? Idne eſſet ſacrificium? An Confucius apud ipſos haberetur, vel Numen integrum, ut ita dicam, vel ut pars aliqua Numi-

nis?

nis? Ad quæ ille, neque ſumus, inquit, tàm ſtolidi, ut eum quem natum eſſe, vixiſſe, mortuum eſſe conſtat, plus aliquid quam hominem credamus eſſe; neque verò tam inurbani, atque ingrati, ut illi viro, cui litterarum omne pretium, tantũ quantum eſt, atque eſtimationem debemus, aliquam memoris animi ſignificationem denegemus. Quid eſt igitur quòd exigua hæc oblata ipſi munera perdidiſſe nos pœniteat, aut cur in illis conſumendis tanta tibi fieri jactura videatur? hæc ipſi dicata eſſe volumus, & tota ipſius eſſe, ſaltem nullius jam alterius eſſe, nullis uſibus inſervire. Addidit, ac Patri Diaz illud ipſum expreſsè petenti confirmavit; nihil prorsùs à Confucio peti, nihil ſperari, propterea ſcilicet quòd nonniſi homo eſſet, atque haberetur.

Hinc manifeſtè conſtat non haberi à Sinenſibus Litteratis Confucium ut Idolum, multò adhuc mi-

minùs Progenitores mortuos, qui ſive probi fuerint, ſive improbi eodem modo à Sinis coluntur ex gratitudine.

Tertiò. Linus Sina Chriſtianus, Sinicis doctrinis excultus, & gradum Baccalaureatûs ſuperiorem, adeptus, ſæpè conqueſtus eſt coràm, & ſcriptis litteris, eos Miſſionarios, qui ritus Confucii, Progenitorumque reſpuunt, & damnant, (z) *obicem ponere propagationi Fidei; retardare Sinas à ſuſceptione Baptiſmatis; addens, ſe in die judicii illos accuſaturum ante Tribunal Chriſti Domini, eo quòd ſuis illis opinionibus interturbaverint Chriſtianorum agumentum, deterrentes miſeros Sinas à ſuſceptione Baptiſmatis, & à Sacramentali Confeſſione.* Has teſtantur ſe legiſſe, & habuiſſe litteras quatuor, Pater Brancati, & Pater Claudius Mottel.

Idem Linus, ita narrat P. Brancati, (a) *anno* 1661. *menſe Julio, in*

(z) Apol. Brãcati pag. 82. (a) Pag. 208.

in Metropolim Civitatem Provinciæ Chekiam, Hâm cheu ſu *dictam venit, in quam etiam Civitatem per id tempus ad aliqua peragenda negotia me contuleram.* Hîc, inquam, *Linus coràm multis, inter quos aderant etiam aliqui Gentiles, mihi gratulatus eſt unionem aliorum Miſſionariorum cum Societate noſtra, & quia ſæpiùs eadem repetebat coràm omnibus, nullo habito Chriſtianorum vel Gentilium diſcrimine, rogavi illum, ut ab his ſermonibus abſtineret; ſed mihi reſpondit, ſinat Reverentia Veſtra, ut unio hæc omnibus innoteſcat, & intelligant omnes profeſſionem Chriſtianæ Religionis nõ impedire ritus politicos defunctorum, quâ causâ homines ab ea profitenda abſtinere uſque modò experti ſumus.* Ita P. Brancati.

Quartò. Idem omninò ſenſerunt Doctor Leo, Doctor Paulus, Colao-Ye, Licentiatus Ignatius, & alii, de quibus ſuprà, qui tantopere pugnarunt pro retinenda voce

Xãm

Xãm tĩ, contendentes ab antiquis Sinis omnibus Deum, Optimum, Maximum ſub hac voce, & agnitum, & ſupremâ veneratione cultum eſſe. Idem ducenti illi vel Litteratorum gradibus, vel etiam Præfecturis Mandarinorum inſignes, quos Chriſto peperit Alphonſus Vagnonus. Idem innumeri alii pariter Litterati ab aliis Evangelii è Societate Miniſtris, Deo adjuvante, converſi, præter tot millia Chriſtianorum, quæ in ſola Urbe *Sum-Kiam*, Patria olim Doctoris Pauli, numerantur plura quàm quinquaginta.

OBSERVATIO X.

Apparet ex libris Sinenſium claſſicis, prædictos ritus nihil in ſua inſtitutione niſi politicum, ac civile habuiſſe.

DIXI decimò. Teſtes illos tam locupletes, tam multos, tam in Sinicis litteris eruditos, tam do-

doctos in Theologicis, pios in Deum, de ſalute proximi tam ſollicitos, tot virtutibus ornatos, non Jeſuitas ſolùm, ſed è ſacra quoque Sancti Dominici Familia benè multos; non Europæos ſolùm, ſed & Sinenſes, teſtes, inquam, illos quæſtionis facti, de qua agitur, tot, & tantos habere adhuc præ manibus libros Sinenſium claſſicos, in quibus ritus illi, ac cæremoniæ præſcribuntur, & ex lectione illorum intelligere vera eſſe, quæ ex ore Sinenſium audierunt de ritibus Confucii, ac Progenitorum quoàd ſubſtantiam civilibus, ac politicis. Pauca referemus ex iis teſtimonia, ſed quæ rem evincant: ſed priùs quædam erunt præmittenda magni momenti ad eorum quæ ſequuntur intelligentiam.

Notandum igitur primò. *(b)* Litteram *Ci*, quâ utimur ad ſignificandum verum Miſſæ Sacrificium, ha-

(b) *Vide tractatum R. P. Sarpetri pag.*266, *&c.*

habere Sinicè ampliſſimam in ſignificando latitudinem, non ſolùm quoàd res omninò diſparatas, ſed etiam quoàd eas, quæ præſentem quæſtionem ſpectant.

Quia primò. Hæc vox *Ci*, ſignificat Sacrificium vero Deo, vel Idolis oblatum *: inde factum eſt, ut hanc Riccius, & alii pro Sacrificio Miſſæ uſurpaverint.

Quia ſecundò. Hæc vox *Ci*, ſignificat varias ſpecies politicorum munerum, quæ honoris causâ inter homines offeruntur; ſive in (*c*) conviviis, ubi conviva, & convivator *Ci*, id eſt, edulia, vinum, &c. ſibi invicem offerunt; ſive extrà convivii tempora in adventu hoſpitum, in ſolemnitate nuptiarum, & aliis hujuſmodi occaſionibus.

Quia tertiò. Coràm tabula, ubi viventis Imperatoris, (*d*) vel aliorum

* *P. Philippuccius cap.* 20. *art.* 10. *ſui præludii ad plenam diſquiſitionem de cultu Confucii, & Defunctorum.* (c) *Ibidem.* (d) *Ibidem.*

rum viventium item Benefactorum nomina inſcripta ſunt, offeruntur quoque munera eadem voce, ac littera *Ci* nuncupata.

Quia quartò. Quæ offeruntur etiam mortuis munera, *(e)* ita appellantur, ſive filii, aut conſanguinei, vel affines ea offerant, ſive externi.

His ita, quæ ſunt conſtantiſſimè vera, ſuppoſitis, meridianâ luce clarius conſtat hæc munera, quæ mortuis offeruntur, ex eo præcisè non poſſe dici eſſe vera ſacrificia, quia *Ci* vocantur,

Et verò non inter æquales modò hæc honoris officia erga defunctos *(f)* inveniuntur, ſed in Superioribus quoque erga inferiores; & in Imperatoribus erga ſubditos. Ut externa taceamus, mortuis Patribus Matthæo Riccio, Nicolao Longobardo, Joanni Adamo Schall, & Gabrieli Magalliano Sinici Imperatores per Palatinos Præfectos munera *Ci* obtulerunt cum ſolitis ge-

(e) *Ibidem*, (f) *Ibidem*.

genuflexionibus, capitis uſque ad terram inclinatiône, aliiſque reverentiæ, & honoris officiis.

Nemo unquàm in Sina ne ſomniando quidem ſibi perſuaſit, Patres illos ab Imperatore habitos eſſe pro Idolis, & veris ſacrificiis ab eodem cultos eſſe: quod vel cogitare tam ſtultum eſt, quàm ridiculum.

Cum aliquis in Sinenſi Regno moritur, præſertim nobili, & divite familia natus, præter cognatos amici omnes, & clientes ad defuncti domum accedunt, ibique coràm cadavere in lignea arca recluſo genuflectunt, capite ad terram pluries inclinato, reverentiam exhibent, & *Ci* (g) munera reverenter illi offerunt cum ſignis magnæ commiſerationis. Viſi ſunt P. Franciſcus Varus ex Ordine S. Dominici, & P. Franciſcus à Conceptione ex Ordine S. Franciſci hæc honoris, & reverentiæ ſigna cum muneribus *Ci* offerre;

 pri-

(g) *Ibidem.*

primus demortuo Parenti cujuſdam Reguli in Provincia Fochien demorantis, ſecundus Patri defuncto Reguli occiſi in Urbe Cantonienſi. Hoc *Ci* offerendo non putarunt ſe verum illis ſacrificium offerre. Vox ergo illa, ſeu littera *Ci* magnam habet in ſignificando latitudinem; neque ſignificat ſacrificium propriè dictum, niſi circunſtantiæ huic voci adjunctæ ad hanc ſignificationem illam reſtringant. Lege tractatum P. Dominici à S. Petro Dominicani. Hæc de voce ſacrificii. Veniamus ad rem.

Notandum ſecundò. (h) Juxtà Theologos in ſacrificio ſtrictè dicto quinque reperiri. Primò, Miniſtrum: ſecundò, materiam: tertiò, formam: quartò, locum: quintò, finem.

Miniſter ſacrificii debet eſſe Sacerdos ad hoc miniſterium ſpecialiter, & legitimè deputatus. Materia, eſt res ſenſibilis viva, vel in-

(h) *Idem Philipuc.*

inanimata ; quæ etſi de ſe ſit indifferens ad quemcumque uſum, eſt tamen determinata in veris ſacrificiis. Forma conſiſtit in deſtructione, vel mutatione rei oblatæ in ipſo actu ſacrificii: ut patet in ſacrificiis tam Legis naturæ, & Moſaicæ, quàm gratiæ. Locus, eſt Altare ad hoc ſpecialiter deputatum, & conſecratum, in quo fiat victimæ, & rei oblatæ deſtructio, vel mutatio. Templum verò, eſt locus altari ſpecialiter addictus. Denique finis ſacrificii propriè dicti, & univerſaliter ſumpti eſt, ut referatur in honorem Dei vel veri, vel putati, vel ficti, ſupremo cujus dominio proteſtatur ſe eſſe ſubjectum, qui ſacrificium illi offert.

Notandum tertiò. Eandem actionem materialiter ſumptam, cum à ſuo motivo, ſive objecto formali ſpecificetur, ſi habeat pro objecto motivum Religionis, fore religioſam; ſi politicum, & civile, fore politicam, & civilem. Sic

eadem adoratio, ſeu reverentia exterior exhibita Deo, eſt latria; B. Virgini hyperdulia; Angelis aut Sanctis dulia; Idolis Idololatria; Regi, Parentibus, Magiſtris, Senioribus, eſt actio merè politica, & civilis.

Notandum quartò. A Sinenſibus non ſoli Confucio, titulo magiſterii, cultum, & honorem exhiberi, ſed in eadem aula Confucii una cum ipſo centum, & ampliùs Litteratos, & Sapientes utique inſigniores coli, & honorari, appoſita pro unoquoque ipſorum, proprio cujuſque nomine inſcripta tabella, ante quam ſolitæ in Sinis fiant inclinationes.

Porrò non modò non coluntur illi propter ſuam ſanctitatem ſupernaturálem, quam Sinenſes non agnoſcunt; ſed neque propriè propter morum probitatem, de qua nulla fit mentio. Imò de horum nonnullis magna ſæpè vitia narrantur, ut de *Men cu*. Undè conſtat eos tantùm coli ob præſtantio-

tiorem ſapientiam. Hoc autem applica Progenitoribus, qui ſive probi fuerint, aut improbi iiſdem ritibus celebrantur, eo ipſo quòd Progenitores fuerunt.

Iſtis ita prænotatis, viſum eſt Patri Riccio, cæteriſque ſuprà nominatis Miſſionariis, & Sinenſibus tam multis, tam doctis, & tam piis, vix poſſe legi, & examinari genuinos apud Sinas librorum claſſicorum textus de Confucii, Progenitorumque ritibus, ac cæremoniis, quin ope vocabulariorum Sinenſium appareat, cultum hujuſmodi eſſe merè civilem, ac politicum quoàd ſubſtantiam.

Nam primò. Ex relatis alibi teſtibus benè multis, aliiſque propè innumeris certum fuit, ac indubitatum Patri Riccio, Sinas antiquos per plura annorum millia Supremum Spiritum, ac Numen ſub vocibus *Xãm tí*, & *Tiēn* agnoviſſe, & coluiſſe; imò obtuliſſe illi ſoli ſacrificium, quod inter reliqua ſacrificia ſummum vocabant,

 ſi-

ſive *Chaî*. De illo ſic habet textus in libro (i) *Liki*. *Secundâ Lunâ Rex Orientalem plagam viſitans, ubi pervenit ad montem dictum Taſcam. In eo monte offert ſacrificium Chaî, & ex eo monte reſpiciens alias plagas; offert etiam oblationes Tutelaribus Spiritibus montium, & fluminum*. Commentator ſic ait. *Strues illa lignorum comburitur unà cum victima, & aliis rebus, quæ lignorum congeriei imponuntur. Hoc autem ſacrificium offertur* Tiēn, *ſeu* Xām-tî, *& eſt ſummum ſacrificium inter cætera ſacrificia; Nam reliquis Spiritibus Tutelaribus montium, & fluminum, quibus offerendæ ſunt oblationes, non ad ea loca, in quibus hi Spiritus coluntur, pergit Rex; ſed conſiſtens in hoc eodem monte vertit ſe ad Orientalia illa loca, & reverentiam exhibens, oblationes offert*. Ita Commentator.

Se-

(i) In Apolog. Patris Brancati pag. 243.

Secundò. Non fuit minùs certum & ex Illo textu, & ex aliis quamplurimis fuiſſe quoque agnitos à Sinis inferiores Spiritus, ſeu Angelos, quibus inferioris ordinis oblationes offerebant, non autem ſacrificium ſummum, ſive *Chaî*. Textus ejuſdem libri ſic habet. *Imperator in mandatis dat populis, ut omnes exerant vires in colendo ſupremum Numen* Xām-ti; *deindè Tutelares excelſorum montium, magnorumque fluminum, orbiſque quatuor partium Spiritus*.

Tertiò. Non minùs certò conſtat Confucium neque inter Spiritus, quos Litteratorum ſchola juxtà prædictos textus agnovit, neque inter Bonziorum Idola à Sinenſibus referri.

Patet primum ex libro, quod dicitur examen rituum, cùm agit de portis cancellatis, quæ in quibuſdam Confucii aulis indebitè conficiebantur, ſic habet.

Confucius ſanè eſt (purus) homo defunctus, ſive defuncti hominis

 ſpi-

ſpiritus: (k) *oblatio munerum corâm illo ex inſtitutione ſit in ejus aula, quæ non eſt per modum areæ ſub dio poſitæ, (ubi ſacrificatur Spiritibus.) Adhibere autem in illius aulæ januis opus cancellatum, hoc eſt tractare Confucium, ac ſi eſſet Spiritus ex ſupradictis, illumque cum Cœli, & terræ Spiritibus comparare, hoc verè ab Imperatoribus præſcriptâ formâ valdè procul diſtat.*

Patet ſecundum ex Imperatoris decreto, quod anno Domini 1438. publicatum eſt his verbis. (l) *Imperator prohibet munera offerri Confucio in fanis Idolorum, quæ* Foè, & Lao (Tan) *vocantur*. Confucius ergo, atque potiori jure alii Sinarum Sapientes, mortuique Progenitores nec inter ſpiritus coluntur à Sinis, nec inter Idola. Non mirum ergo ſi toties idipſum affirmarint Sinæ tam Chriſtiani, quàm Infideles utique do-

(k) Philippuc. c. 2. art. 2. Præludii.

(l) *Ibidem*.

docti, plurimique alii non ſolùm Societatis, ſed & aliorum Ordinum Miſſionarii.

Quartò. Sinæ venerantur Confucium ut communem Imperii Magiſtrum: mortuos autem ſive Magiſtros, ſive Progenitores eodem modo colere, quo coluntur adhuc viventes, eſt univerſalis Sinarum doctrina.

Famoſum eſt, & in omnium ore verſatum illud axioma apud Sinas. (m) *Serviendum ita eſſe defunctis, ac ſi viverent. Eo obſequio mortuos proſequere ſicut vivos proſequebaris: ſervias vitâ functis, ſicuti ſi præſentes adeſſent.* Patet ex libris Sinicis claſſicis longè ante Confucii tempora, viguiſſe morem in Sina honorandi Magiſtros tam viventes, quàm defunctos: cùm ante in libro qui dicitur *cûm miào li yôcâò*, inquiritur origo ritûs illius offerendi munera defunctis Magiſtris, ſic legimus. *Qua de cauſa iſte ritus vo-* *ca-*

(m) Ibidem.

catur Xè cày? (n) *Hic ritus*, inquit, *ſimilis eſt ritui offerendi munera, cùm aliquis amicum inviſit; certè inter ritus in ſolemnitate nuptiarum, cùm Sponſa Socerum, & Socrum primùm inviſit ad dona illis offerenda, utitur quacumque ſpecie fructuum, quos mala vocamus, & caſtaneis. Si Socer, & Socrus defuncti fuerint, Sponſa aulam Majorum defunctorum inviſit, ibique dona offert. Omnes diſcipuli cùm viventem Magiſtrum inviſunt ad munera illi offerenda, iis rebus utuntur; quas vocant* Xo Sieu, & *ferè ſunt res comeſtibiles, & vinum, ſive argentum: cùm igitur hoc urbanitatis officium erga mortuos Magiſtros exercent, tunc illis dona offerunt, quæ appellantur* Xe cây. Hactenùs Sinicus textus. Author verò poſteà notat dicta munera; ex ſua prima inſtitutione fuiſſe varias olerum ſpecies; poſteà introductum fuiſſe pannos ſericos, & car-

(*n*) Ibidem.

carnes animalium (pridiè à Macellario occiſorum) deindè benè coctas offerre.

Decretum Imperatoris *Chim cuven* ſic habet. (o) *Ego veneror Cōfucium Imperatorum Magiſtrum. Imperatores quidem Domini ſunt populorum: Confucius verò bonam inſtitutionem poſuit, tria illa vincula (videlicet inter Regem, & ſubditos, inter Patrem, & filium, & inter maritum, & uxorem) mutua officia exercenda. Doctrina quinque univerſalium, & perpetuò ſervandarum virtutum (nempè pietatis, juſtitiæ, omnium officiorum ritè obſervandorum ſtudii, prudentiæ, & fidelitatis: Sinici Imperii magnam ſymmetriam, & formam:) hæc omnia Confucius declaravit, ut omnia ſæcula erudiret. Convenit igitur per me ipſum ad magnum Gymnaſium, hoc eſt aulam Confucii pergere, & munera offerre Confucio cum hac intentione, ut Litteratos, ſive Litte-*

(o) Ibidem.

teratorum inſtitutum magnificem, & honorem, rectamque doctrinam magni pendam. Huc uſque Imperator.

Ex his, aliiſque permultis textibus ſatis manifeſtè patet, defunctum Confucium neque agnoſci, neque coli à Sinenſibus vel ut Spiritum, qui ſphæram excedat humanorum Spirituum; neque ut Idolum; ſed ſolùm ut Imperii Magiſtrum, eademque ſubſtantialiter ratione coli, quâ viventes in Sina Magiſtri coluntur, atque honorantur; ac proindè cultum illum eſſe civilem, & politicum.

Quintò. In ritibus, ſeu oblationibus, quæ fiunt in honorem mortuorum, ſive Confucii, aut Benefactorum, aut Progenitorum, nihil ab illis petitur, aut ſperatur. Unde ſequitur non haberi illos ut Numina.

De oblationibus, quæ primo Spiritui, ſeu (p) *Xām-tí*, vel reliquis Tutelaribus, ſic habet liber *Liki.*

(p) Apolog. Brancati pag.93.

Liki . In oblationibus imploratur auxilium , referuntur gratiæ , deprecantur calamitates . De oblationibus verò mortuorum ſic loquitur . (q) *In oblationibus , quæ fiunt pro defunctis , nihil ab illis rogatur ; non peraguntur ante conſueta tempora ; neque lætari debemus ex eo quòd ſint ſplendidæ .*

Item . (r) *Finis illarum oblationum eſt continuare amorem ergà Parentes , & Benefactores ; procurantes hiſce oblationibus ſupplere defectus commiſſos in ſuſtentatione , & obedientia erga defunctos ſuos .*

Rursùm : *viri probi perficiebant has oblationes , & ſolùm in his rationem habebant , ut perfectè , fideliter , cum ſinceritate , & reverentia perficerentur , nihil in illis petentes , aut ſperantes* . Ita textus . Commentator verò ait : (s) *Perfectio , fidelitas , ſinceritas , reverentia , quatuor iſta ſunt in his oblationibus fundamenta , id eſt ,* in

(*q*) Ibidem. (*r*) Ibidem. (*s*) Brancati Apolog. pag. 228.

in his conſiſtit honor, qui his oblationibus exhibetur defunctis Parentibus, & Benefactoribus. Nihil ab illis petitur, ſed nec in illis voluntas ineſt felicitatem aliquam petendi. Item. *Non ſolùm nihil omninò ab illis petunt, ſed nec ullam habent voluntatem, & deſiderium petendi ab illis felicitatem aliquam; quia actio illa munera offerendi nullas admittit precationes.*

Hîc nota nihil officere his Litteratorum ritibus, ſi qui Sinenſes dogmatibus Idolorum imbuti petant aliquid à Confucio, vel à Proavis defunctis: id enim fit per accidens: ſicuti Hæretici myſteria noſtra non inficiunt, ſi perverſa illis dogmata immiſceant.

Nota rurſùm, quàm verè dixerit Pater Martinius, (t) *nihil à defunctis Sinas ſperare, nihil petere.* Nota denique, quàm accuratè inquiſiſſet in iſtos ritus P. Matthæus

(t) *Lege Epiſtolam ad Virum Nobilem nuper editam.*

thæus Riccius, cujus de hoc argumento teſtimonium eſt hic integrè deſcribendum.

Nihil porrò, inquit, (u) *in hac Secta celebrius eſt, quodque latiùs inter omnes ab ipſo ſcilicet Rege ad infimum quemque pertingit, quàm juſta funebria, quibus, quotannis, Parentibus, Aviſque parentatus, de quibus ſuprà. In his obſervantiam ſuam ſtatuunt, mortuis ſcilicet obſequentes Majoribus, ut ajunt, ac ſi eſſent ſuperſtites. Nec tamen arbitrantur appoſitis mortuos veſci ferculis, aut iis etiam indigere, ſed id genus officii ideò ſe exhibere aſſerunt, quòd aliâ ratione nulla amorem in eos ſuum ſibi teſtari poſſe videantur. Imò etiam aſſerunt non pauci, ritus hos fuiſſe inſtitutos magis in virorum gratiam, quàm mortuorum; ut ſcilicet filii, & alii rudiores doceantur, quâ ratione vivis Parentibus obſequendum, quos viderint etiam vita functos à graviſſimo,*

(*u*) Pag. 107.

ſimo, & ſapientiſſimo quoque tot officiis honeſtari. Et quoniam in iis nullam Numinis partem agnoſcunt, nec ab iis quicquam aut petunt, aut ſperant; id videtur ab omni ſacrilego cultus ſcelere alienum, & etiam fortaſsè ab omni ſuperſtitionis labe purum. Ità P. Riccius de Progenitorum cultu.

De Confucio verò ſic habet: (x) *In hoc Confucii fanum, novilunio, aut plenilunio quolibet, conveniunt Magiſtratus omnes Urbani cum renunciatis Baccalaureis; Magiſtrum ſolitis inclinationibus, ac genuflexionibus, cereis etiam, ac ſuffitu venerantur. Iidem natali ejus die quotannis recurrente, & aliis quibuſdam temporibus ex more deputatis, fercula illi offerunt magno apparatu. gratiam ſe habere proteſtati doctrinæ, quam in libris repererunt, cujus maximè adminiculo doctrinæ gradus ipſi ſuos, & optimos in Republica Magiſtratus conſequuntur. Nullas porrò ei preces*

(x) Pag. 108.

ces recitant, nec ab eo quicquam petunt, aut ſperant, ad eum modum quo de vita functis jam eſt explicatum. Sic P. Riccius.

Quàm ſint verò iſta conformia librorum claſſicorum textibus à nobis ſuprà citatis, nemo eſt qui non videat.

Porrò quantùm etiam differunt ritus illi Progenitorum, Confuciique à ritibus, quibus colunt Litterati Sinæ Tutelares Spiritus Urbium ſingularum, explicat quoque Riccius. *His etiam*, (y) inquit, *Spiritus fercula offerunt, & odores incendunt, ſed non eodem quo ſuprà cultu: Nam in his agnoſcunt perjuros plectendi, proboſque remunerandi divinam quandam ineſſe facultatem.*

Quòd autem, ut benè notat Riccius, Sinæ Litterati non putent mortuos veſci ferculis appoſitis, id præclarè explicat, & confirmat Sina doctiſſimus, nempè Licentiatus *Chu vi chim*, de quo

(y) Ibidem.

jam ante in aureo ſuo libello.

Obedientia, inquit, (z) *erga Parentes in hoc conſiſtit; viventibus defertur obſequium, & ad vitam ſuſtentandam præbentur neceſſaria: illis mortuis offeruntur munera ad illorum recolendam memoriam. Nam cibus, & potus res ſunt, quæ ad homines pertinent vivos, & ad materialem corporis figuram. In morte verò corpus abiicitur, & ſolummodò remanet Spiritus, qui jam à fame, & ſiti liber exiſtit. Ut quid igitur neceſſe eſt tam accuratè, & diligenter munera illa pro mortuis præparare; quæ poſtquàm expoſita fuerint, tandem in viventium ora & ventres ingrediuntur? An fortaſsè ex illis quidquam pervenit ad defunctos? Minimè quidem; & tamen munera iſta data opera præparantur, ut Filii, & Nepotes Progenitoribus mortuis obſequia præſtent, ac ſi vivi exiſterent, iiſque, qui vita ſunt functi, ſic ſerviant, ac ſi præ-*

ſentes

(z) Apolog. Brancati pag. 199.

ſentes adeſſent. Verba hæc ſunt hominis Chriſtiani, & inter Sinas doctiſſimi, qui librum illum conſcripſit, & compoſuit propter concives, & populares ſuos Sinenſibus doctrinis excultos, atque adeò ſecundùm eorum mentem loquitur.

Ex his omnibus facilè concludi poteſt neque Confucio, neque Progenitoribus offerri in Sina ſacrificia propriè dicta, ſed ritus, quibus coluntur, eſſe merè civiles ac politicos quoàd ſubſtantiam.

Ratio palmaris eſt, quòd Confucius à Sinis non colatur, neque ut Numen *Xam-tī*, cui ſoli offerunt ſummum ſacrificium, *Chaî* appellatum; neque ut Spiritus Tutelaris. In hujuſmodi Spiritibus poteſtatem aliquam agnoſcunt Sinæ puniendi, vel compenſandi, nullam in Confucio; quem proindè ut purum hominem defunctum ab Spiritibus illis immensùm diſtinguunt; neque ut Idolum, ut patet ex dictis: colitur ergo tan-

tùm ab illis ut communis Imperii Magiſter, à quo bona populorum inſtitutio propoſita eſt. Multò minùs coluntur à Sinis Progenitores mortui, ut Idola, vel ut aliquam Numinis partem habentes: ſed quia ut doctrinam à Confucio, ita vitam à Progenitoribus acceperunt. Quo fundamento ſemel poſito, evidens eſt, neque aulas, in quibus coluntur, eſſe Templa propriè dicta; neque menſas, in quibus ſunt tabellæ, & munera eis offeruntur, vera Altaria; nec cæremonias in offerendis illis præſcriptas eſſe ritus religioſos, & idololatricos, ſed merè civiles; neque Miniſtros illorum rituum debere eſſe verè Sacerdotes: ideòque in iſtis ritibus nullum ex quinque requiſitis ad veram ſacrificii rationem propriè loquendo reperiri; neque Sacerdotem, neque materiam, neque formam, neque locum, neque finem.

Nam primò. Verè Sacerdos eſſe non debet, qui ritus illos erga Progenitores peragit: nemo eſt enim

in

in Sina, cujuſcumque ſit conditionis, aut ſexûs, qui vel ſuo, vel alterius nomine hoc officio fungi non poſſit, ideòque nemo eſt ad id ſpecialiter deputatus. Imò, quod notandum eſt, ab eo excluduntur Bonzii Idolorum Sacerdotes, (a) tanquàm à ſæcularibus, & politicis curis, & officiis ſegregati. Unde benè P. Martinius aſſeruit nullum intervenire Sacrificulum, neque ex Secta idololatrica Miniſtellum.

Secundò. Materia ſacrificii, eſt aliqua res ſenſibilis & externa, viva, vel inanimata: Hæc autem materia per ſe ſumpta, ut patet, non conſtituit rationem ſacrificii, cùm ea ad quemcumque uſum ſive profanum, ſive religioſum ſit indifferens, niſi aliundè determinetur. Hoc autem in Sina magis adhuc verum eſt, quam apud alias Gentes. Offerunt enim Sinæ eadem indifferenter vivis, & defun-

(a) *In Præludio Philippuccii c. 2. art. 1.*

ctis, eademque ſæpè adhibent ad cultum civilem, & religioſum, & ferè cum iiſdem cæremoniis. Pauca ex multis propono.

Primò. *Quoties novus aliquis* (b) *Mandarinus Gubernationem adit, ubi primùm curiam ingreditur, & ſus, & capra, & fructus, & oriza, aliaque unà cum vino ſuper magnas menſas in veſtibulo primæ aulæ utrimque expoſita, à Primoribus illius oppidi, vel civitatis, ſupplici libello, novo illi Mandarino offeruntur in illius honorem & obſequium, eumque ritum, & cæremonium obſervant, quoties Supremus aliquis Præfectus loca ſibi ſubjecta percurrens viſitat.*

Secundò. *Eodem* (c) *obſequii genere excipiuntur in cõviviis magni Hoſpites, ſive actu ſint Mandarini, ſive non, Quæ munera præparantur ante illius aulæ januam, in qua convivium agitur, & in ipſo aulæ veſtigio à Convivii Domino, offi-*

(b) Brancati Apolog. pag.44.
(c) Ibidem.

officioſa libello, magno illi Hoſpiti offeruntur, & ab hujus Hoſpitis famulis auferuntur illicò, qui inter ſe illas dividentes, in proprias cujuſque domos aſportant.

Tertiò. Hic idem ritus quoque ſervatur, ſed majori etiam apparatu, in natalitiis Mandarinorum omnium, nobilium Civium, & etiam divitum plebejorum. Porrò fiunt reverentiæ, & inclinationes, non modò offerentibus dona, ſed etiam ipſis donis, ſive ſint ſues, ſive capræ, &c. Hæc autem omnia ſunt in Sinis, ut manifeſtum eſt, merè civilia, & politica.

Quartò. Tartaris in Imperio Sinarum *(d)* nunc dominantibus in uſu eſt, ut ante celebriora convivia coràm Hoſpitibus, boves, capræ adhuc viventes adducantur, ibique honoris gratiâ ante illos mactentur, eiſdemque reverenter offerantur; quibus peractis, carnes in fruſta diſſectæ ad parandum

(d) *Philippucc. in Præludio cap. 1. falſitate 24.*

convivium in culinam deferuntur.

Quintò. In ſolemni convivio, quod Luſitaniæ (e) Regis Legato apud Sinas exhibitum eſt in Aula PeKinenſi ipſi obtulerunt honoris causâ integrum caput caprinum immane, & horrendum bicorne. Hæc omnia quis dubitet eſſe materiam munerùm purè civilium & politicorum, non verò ſacrificiorum?

Sinenſes (f) autem adhibent in ritibus funeralibus omnia cujuſcumque ſpeciei comeſtibilia; & juxtà ipſorum politicum Rituale ea ferè deberent eſſe, quæ defunctis in vita degentibus fuere gratiora, ut meliùs repræſentatio honorandi defunctos, ac ſi eſſent ſuperſtites, exprimeretur. Hæc autem ut plurimùm incerta ſunt, & ad cujuſque palatum accomodata. Undè materia iſtorum munerum ne determinata quidem eſt, quod contra

(e) *Ibid.* 268. *falſitate.*

(f) *In Prælud. Philippucci cap.* 2. *art.* 1.

trà accidit in pleriſque veris ſacrificiis , in quibus alia præſcribitur, alia prohibetur.

Sextò. Forma ſacrificii , quæ materiam (*g*) determinat, conſiſtit in deſtructione, vel mutatione rei oblatæ in ipſo actu ſacrificii; ut patet in ſacrificiis Legis naturæ, Moſaicæ, & gratiæ.

In Sinenſium autem donis, quæ defunctis offeruntur , ſi materia ſit comeſtibilis , in ipſo actu oblationis nulla fit deſtructio , vel mutatio; ſed ſolùm die antecedenti animalia à Macellario occiduntur , & ad culinam deferuntur, ut ibi ſuo tempore coquantur : ſequenti die juxtà morem in menſis offeruntur, & ritibus expletis, omnia cum aliis ordinariis eduliis à domeſticis , & hoſpitibus comeduntur.

Si verò materia ſit potabilis , ut vinum, in ipſo quidem actu oblationis parùm vini ex pleno poculo in terram cadere ſinitur , ſed iſtiuſ-

(g) *Ibidem.*

iſtiuſmodi actio vinum effundendi inter Sinas eſt de ſe indifferens, & ſæpiſſimè evidenter politica.

Nam ex Rituali politico, in quo feſtivarum inter amicos compotationum, & propinationum regulæ, & ritus fusè deſcribuntur, conſtat reperiri actionem illam emittendi in terram aliquantulam pleni poculi partem, & hoc quidem genuflexo, aliiſque profundæ reverentiæ ſignis. Imò quod magis eſt, non ſolùm inter ipſoſmet Regulos, cùm hoſpitii causâ ſeſe invicem in domum admittunt, hæc conſuetudo ſervatur; ſed ipſemet Imperator hoc idem peragit, cùm ſibi ſubditos Regulos (*h*) ad ſe, ſubjectionis ſibi præſtandæ causâ adventantes eodem urbanitatis officio honorat. Ità liber Sinicus, cujus Author opportunè ad noſtrum propoſitum adjungit.

Si hoc beneficium Imperator Regulis de ſe benè meritis præſtat, cùr hoc an Confucio fieri debeat, necne, du-

(h) *Ibidem.*

dubitatur? Unde patet hanc vini effuſſionem eſſe tantùm honorificam urbanitatem, & officium purè civile.

Septimò. Locus ſacrificii, eſt Altare ad hoc ſpecialiter deputatum, & conſecratum, in quo fiat rei oblatæ, & victimæ mutatio, vel deſtructio. In Sinarum oblationibus. de quibus agitur, nullum invenitur altare iſtiuſmodi: adhibetur enim quælibet communis menſa, quæ caſu occurrit ad munera iſta Progenitoribus offerenda: niſi ergo velimus omnes Sinenſium menſas altaria nuncupare, ad hunc uſum altaria non reperiemus propriè dicta, ut Sacra Congregatio exigebat ad prohibendas tabellas.

Octavò. In ritibus Confucii, Progenitorumque deeſt finis veri, ac propriè dicti ſacrificii: cùm enim Sinæ Confucium, aut Progenitores non agnoſcant ut Numina, vel Idola, imò cùm in iis nullam Numinis partem eſſe pu-

tent, nullam ſanctitatem ſupernaturalem; quàm planè ignorant, ritus illos, aut cæremonias non adhibent ad aliquid tale in Confucio, aut Progenitoribus agnoſcendum, & venerandum, neque ad petenda ab illis beneficia. Hoc unum intendunt, ut pro more regionis dent ſigna ſuæ erga defunctos gratitudinis, vel ob doctrinam, vel ob vitam ab illis acceptam: hæc autem omninò continentur intrà limites civilis obſequii & honoris erga illos; quibus defunctis ita obſequi deſiderant, quaſi eſſent ſuperſtites.

Hinc conclude: Aulas, in quibus ritus illi peraguntur, nec poſſe, nec debere nuncupari vera Templa. Sanè nullus eſt in Grammaticis tam tyro qui neſciat vocem illam, Templum, magnam habere in ſignificando latitudinem. Et verò cùm Templum à tuendo dictum velint, volunt quoque hac voce ſignificari Cœlum, quia prima res eſt quam intuemur. Significat

præ-

præterea locum, in quo Senatus conſultum fiebat: Rursùm loca alia ſepta, & unum tantùm introitum habentia: ſic *Curia Hoſtilia* erat Templum, licet ſacra non eſſet. Unde Tullius pro domo ſua, *Curia Sedes, ac Templum publici conſilii*. Denique dicimus *Templum Sapientiæ*, *Templum Eloquentiæ*; ubi nempè diſcitur ſapientia, docetur eloquentia.

Verum autem Templum Ambroſius in Lucam lib. 9. Sic deſinit. *Hoc Templum eſt verum, in quo non littera, ſed ſpiritu Dominus adoratur*. Chriſtus vocabat Templum, *Domum orationis*. Aula verò Confucii non eſt deſtinata, neque ad colendum Deum, neque ad orandum. Confucius enim non habetur Deus apud Sinas, ut probatum eſt, nec ab eo quidquam, aut petitur, aut ſperatur. Idem dicendum à fortiori de Progenitoribus. Porrò licèt aliquandò aula illa dicatur *Miaò*, non inde ſequitur hanc eſſe Templum propriè

dictum:

dictum: hæc enim littera ſecundùm propriam ſignificationem ſignificat anteriorem aulam in palatio Regis, ut habetur in Dictionario Sinico. Præterea Aula Confucii in Imperatorum diplomatibus communiter vocatur *Taï Hiò*, Magnum Gymnaſium: in ſingulis autem Urbibus *ſiè Hiò*, Urbis Gymnaſium; quod nomen omnibus, & ſolis Confucii aulis convenit, nullo autem modo Idolorum delubris. Quòd verò Bonzii ſua templa vocent *Miaò*, hoc nihil officit antiquæ hujus vocis ſignificationi; hodiè enim adhuc Aulæ regiæ vocantur *Miaò*. Sicuti quòd utantur Statuis, & Imaginibus, non debemus ideò Statuas & Imagines ſacras abjicere, ut faciunt Hæretici.

Dicendum à fortiori aulas, in quibus Sinæ conſervant avorum ſuorum Imagines, non eſſe verè ac propriè Templa. Sufficiet hic advertere nomen, quo ſæpè hanc Aulam Sinenſes appellant, nempè

Sū

Sũ Tãm , ſignificare Memoriæ Aulam: ut denotent locum illum ad perpetuandam Progenitorum memoriam eſſe erectum.

Neque hic debemus omittere Sacram Congregationem à R. P. Joanne Baptiſta de Morales Dominicano interrogatam, ſemper magis ſollicitam fuiſſe de vero Altari, quam de vero Templo. Cùm enim propoſuiſſet ille in multis Idolorum Templis tabulam in menſa; vel altari collocatam eſſe cum iſtis litteris, *Vivat Rex ad multa annorum millia*; addidiſſetque Idololatras ante præfatam tabulam ſacrificare bis; aut ter in anno: & facere genufluxiones in honorem, & reverentiam illius, Reſpondit Sacra Congregatio: *Excluſis ſacrificiis, & altari verè & propriè dicto, cætera quæ redolent tantummodò cultum civilem, vel poſſunt ad illum reduci, permitti poſſe*: Ubi non excluſit Templum propriùs dictum: ratio eſt, quòd ſciebat in Templis etiam propriè di-

ctis poſſe exhiberi cultum merè civilem, & politicum, ut fit quotidiè Principibus, & Regibus: collocari ibi non ſolùm eorum nomina, ſed & ſtatuas; non tamen in altari propriè dicto, & ad cultum.

Qui vel ſolam hanc legerit obſervationem decimam, ſtatim intelliget quàm immeritò Diſpunctor authori obſervationum objiciat, quòd vix unquàm quæſtionem facti attigerit: eſt è contrario ut de illo conqueratur obſervationum Author, quòd intacta ferè omnia relinquens quæ continet hæc obſervatio, fingat tamen ſe omnibus reſpondiſſe,

OB-

OBSERVATIO XI.

Quàm ſit levis authoritas illorum qui pro oppoſita ſententia citantur ab Adverſariis.

DIXI II. multas, graveſque ob cauſas non eſſe valdè graveṃ, authoritatem illorum, qui pro oppoſita opinione citantur à Reverendiſſimo Domino Maigrot, & Domino Charmot.

Nemo exiſtimet me velle, vel leviſſimè ſacri Prædicatorum Ordinis gloriam minuere, dum expono quàm levis ſit Reverendi Patris Navarrettæ authoritas in decidendis his quæſtionibus. Cum enim citetur ille continuo à Maigrot, vel à Domino Charmot in hoc negotio, in quo non Jeſuitas ſolùm habuit ſibi oppoſitos, ſed & Sancti Dominici Miſſionarios non paucos, cenſeri debeo magis, & opto, pro ſacro illo Ordine fortiter pugnare, quàm hunc impugnare, vel leviter.

Et verò ut hic de Jeſuitis ſileamus, opponatur ſolummodò Reverendi Patris Navarrettæ authoritati authoritas aliorum, qui ex eodem ſacro Ordine de Sinenſium ritibus non idem cum illo ſenſerunt.

Et primò. Quidem opponatur ipſe ſibi. Eſt enim indubitatum, Reverendiſſimum P. Navarrettam, in conventu Cantonienſi ritus illos approbaſſe ut licitos, & innocentes; nec ſine cognitione cauſæ illos approbaſſe, ſed poſt longum, & ſerium rei iſtius examen: poſt difficultates propoſitas, & ſolutas: poſt lectos & expenſos his de quæſtionibus tractatus. Conſulatur Reverendiſſimus P. à S. Petro Dominicanus, qui ut teſtis oculatus variis in epiſtolis, & in opuſculo his de rebus ſcripto narrat, & affirmat *ſe vidiſſe litteras propriâ R. Patris Navarrettæ tunc Superioris ſui manu ſcriptas, ſubſcriptaſque, quibus ex commiſſione, & authoritate R. Patris Vincentii Prot ſui Provincialis ſignificat, ſe, ſuoſque dein-*

deinceps ſecuturos Societatis praxim quoàd iſtas cæremonias ad uniformitatem in convertendis Sinis ſervandam.

Secundò. Idem Reverendiſſimus P. à S. Petro teſtatur conſilium illud Reverendi Patris Navarrettæ ritus illos approbantis eſſe conforme *conſcientiæ ſuæ judicio, decretis Capitulorum ſui in India Ordinis Generalium, Epiſtolæ R. P. Generalis ſui ad Miſſionarios Sinenſes ſcriptæ, conſiliis, & Mandatis R. P. Franciſci de Paula Commiſſarii S. Officii tunc Provincialis, ſtatutiſque ad majorem ſuffragiorum partem in conventu LanKinenſi omnium ejuſdem Ordinis Miſſionariorum, cui ipſe interfuit.*

Tertiò. Quòd R. P. Navaretta contrarium poſteà ſenſerit, & ſcripſerit contrà ritus illos, Societatiſque praxim, poſtquàm in Hiſpaniam pervenit, conſtat quidem; ſed quem in Societate maculanda finem ſibi præſcripſerit, ſcrutans corda, & renes Deus jam judica-

vit ignoto, & occulto nobis judicio.

Quartò. Hoc quoque conſtare videtur, neque doctiorem, neque meliorem hunc fuiſſe, cùm id ſcripſit in Hiſpania, quàm cùm in Sina oppoſitum & ſentiret, & ſcriberet. Nam in Sina cum iis vivebat, quos à triginta, & ampliùs annis in hoc Imperio degentes, Sinicíſque litteris excultos audire poterat, & conſulere, concaptivus ipſe & exul pro Chriſto: At verò cùm ſcripſit in Hiſpania, præterquam quòd ſe ſolùm his de argumentis audire poterat, & conſulere mediocrem ſatis Magiſtrum, deſierat eſſe tunc Chriſti captivus & Confeſſor. Ipſe enim ex Cantonienſi carcere clàm aufugiens, inſalutatis omnibus, etiam ſuis, tam imminenti periculo omnes Chriſti Confeſſores, ac Miſſionarios expoſuerat, Religioniſque negotium, ut impendentia ſibi Chriſtianitatique damna timere non deſierint, donec P. Philippus Grimaldi bene notus, Macai tunc

exiſtens, communi Patrum conſilio, votoque advocatus Cantonem, advolavit; captiviſque cæteris adjunctis, aſſumpto nomine Sinico Patris Navarrettæ, & illius loco occupato, incarceratorum numerum implevit.

Quintò. Societati nocuit in Europa opus Reverendi Patris Navarrettæ tum apud Hæreticos; qui inde ſumpſerunt anſam traducendi, ut Idololatras, Sinenſes tam Miſſionarios, quàm Neophytos; tum apud pleroſque Jeſuitarum adverſarios, & æmulos; Ideòque, ut experientia docet, in iis quæ Societatis famam maculant, credulos ſuprà modum: tum etiam apud multos Catholicos, qui religioſum hominem rati ex Sina reducem, non profugum, audiebant viſa narrantem, non contradicentem ſibi ſciebant: ſed in Sina tunc ſaltem temporis parum, vel nihil nocuit. Nam præterquàm quòd nota ibi erat ejus fuga, rituumque Sinenſium approbatio ac

proindè multiplex contradictio, oppoſitos non modò habebat omnes è Societate Miſſionarios, ſed etiam ex eodem Sancti Dominici Ordine non paucos, de Sinicis ritibus, atque Confucio aliter planè ſentientes.

Sextò. Et verò præter ſæpè laudatum R. P. Dominicum à Sancto Petro, & nunquàm ſatis commendatum Illuſtriſſimum Gregorium Lopez, Baſilitanum Antiſtitem, Vicariumque Apoſtolicum; ex divina Providentia tunc contigit typis vulgari Manilæ quæſita Miſſionariorum ex Ordine S. Dominici, & reſponſa P. Joannis de Paz, quibus, ut ante viſum eſt, approbatur omninò in Societatis praxi, quod in ſuis libris Hiſpanicis improbat Navarretta. Imò P. Joannes de Paz ex relatione ſui Ordinis Sacerdotum id affirmat eſſe certò falſum, quod venditat Navarretta de perſuaſione Sinarum circà Confucii divinitatem. Unde non eſt difficile colligere, quam fidem iſtius

Authoris opus mereatur.

Septimò. Conſtabit hoc adhuc magis apud eos, qui noverint veracitatem in loquendo, aut ſcribendo fuiſſe in Navarretta ſatis exiguam. Cogit innocentum defenſio aliquot exemplis id probare. Primò. Dum fieret in Cantonienſi conventu Sinenſium rituum examen, communicata eſt Patri Navarrettæ Apologia à Patre Brancato ſcripta, pro tuenda Societatis praxi, repetitaque eſt poſtmodùm à P. Feliciano Pacheco Vice-Provinciali. Pater Navarretta reſpondit hanc Apologiam ſe combuſſiſſe. Hunc agendi modum miratus Vice-Provincialis, juſſit Patrem Brancatum manum operi rurſùm admovere, Apologiamque inſtaurare. Is impiger dum labori incumbit, Navarretta non ferens ſibi ab aliquo inurbanitatem exprobrari, negavit combuſtam Apologiam, Patrique Antonio Govea hanc seriò repetenti cum rubore reſtituit. Hoc teſtantur duo illi Vi-

ce-Provinciales cum P. Brancato: hujus mendacii teſtes non ſolùm Jeſuitæ fuerunt, ſed & ex Sacro Dominicanorum Ordine nonnulli.

Secundò. In Epiſtola quam ſcripſit ad Reverendum Patrem Antonium de Govea Vice-Provincialem anno 1669. ſic habet. *Quòd ſpectat ad Confucium, quidquid erga illum permittitis, & nos ipſi idem permittimus, prohibita duplici cæremonia ſolemniori, quam etiam Societas prohibet*. In pagina verò 354. tomi 2. affirmat noſtros ſemper utramque hanc cæremoniam permiſiſſe.

Tertiò. In pagina 12. ejuſdem tomi dicit fuiſſe utile de controverſiis illis diſputare: *Nam in diſputando*, inquit, *didicimus nos Dominicani, Franciſcanique nunquàm permiſiſſe Patres Societatis ſuis Neophytis intereſſe duplici huic ſolemniori cæremoniæ, etſi plerique illorum judicarent hanc non eſſe ſacrificium*. In pagina autem 354. poſitivè dicit duplicem hunc ritum

tum ſuiſſe ſemper permiſſum Jeſuitarum Neophytis.

Quartò. In eadem pagina 354. teſtem appellat Reverendum Patrem de Govea, à quo dictum ſibi aſſerit ſolum P. Longobardum hos ſolemnes ritus prohibuiſſe ab aliis Patribus permiſſos. In Epiſtola verò ad P. de Govea 29. Septembris 1669. diſertè affirmat Patres Societatis non permittere hos ritus. Reverâ P. Govea in epiſtola ad ipſum data 3. Octobris anno 1669. expreſsè docet illos ritus ab antiquis Patribus fuiſſe prohibitos, & ab hodiernis quoque prohiberi.

Quintò. In pagina 354. negat hoc anteà reſponſum ſibi aut ſuis fuiſſe à Jeſuitis, quòd cæremonias illas non permitterent, eoque nomine illos ſuggillat pag. 390. & 453. quaſi malitiosè rem tacuerint: tamen pag. 452. refert ipſemet locum integrum ex Apologia P. Didaci de Morales anno 1641. edita, quam ipſe aliquantò poſt

ap-

appulſus Manilam cum Socio ſuo Joanne Baptiſta de Morales illis reperit: (ſic enim teſtatur) quo in loco diſertè reſpondebat P. Didacus prohibitos à noſtris Neophytos, ne quid ciborum, an ſerici, aliarumve hujuſmodi rerum Confucio offerrent: quod nunquàm, niſi in ſolemnibus illis cæremoniis agitur. Quid ergo ſentire debet ſapiens quiſque de homine, qui in uno eodemque loco negat eſſe anteà datum id reſponſi à Jeſuitis, & ſimul affirmat eſſe ante tot annos datum P. Didaco de Morales à Jeſuita hoc reſponſum.

Sextò. Ipſe Navarretta teſtatur ſe PeKino ſcripſiſſe ad Reverendum Patrem Oliva Societatis Jeſu Generalem epiſtolam, in qua hunc informabat de Sociorum virtute, magnis laboribus, copioſis fructibus, ſummaque charitate, quâ Religioſos Sancti Dominici, & Sancti Franciſci exceperant. Idem affirmat, de hoc argumento ſe iterùm ſcripſiſſe ad eundem P. Oliva,

va, & ad ſuum Generalem ex Cantone, ubi, durante perſecutione, in domo Societatis ipſe manſerat 4. aut 5. annorum ſpatio, cum Jeſuitis ita vivens, ac ſi fuiſſent ejuſdem Patris, ac Matris filii.

Iterùm teſtatur libros à Jeſuitis Sinicè ſcriptos ad inſtructionem Neophytorum optimos ſibi videri; ſe laudare poſitum in iis ſcribendis laborem; mirari ſcientiam, agereque ſinceriſſimè gratias pro ſe ſuiſque tanto labore ſublevatis per iſtiuſmodi libros, quibus utebantur fructuosè, cùm opus eſſet. Ita Navarretta; qui tamen redux in Europam de iiſdem illis Jeſuitis, eorumque doctrina, & diſſenſionibus, tam malè, & tam injuriosè loquitur, non meliùs procul dubio inſtructus in Europa, quàm in Sina de *Jeſuitis* Sinenſibus. Cui credendum eſt Navarrettæ? An Sinenſi, an Hiſpano?

Septimò. Biennio circiter poſtquàm in Hiſpania tam durè ſcripſiſſet contrà Jeſuitas, nominatus à Re-

à Rege Catholico Archiepiſcopus de Sãto Domingo in Americao, cùm audiſſet Jeſuitas iſtius Civitatis, ubi reſidentiam tantùm habebant, diſceſſum ab ea cogitare (quam ob cauſam planè ignoro, fortè quia deſperarent cum tali Præſule ſibi tam notoriè infenſo poſſe unquàm quietè vivere) nullum non movit lapidem Archiepiſcopus, ut eos apud ſe retineret, ſcriptis ad Regem Catholicum, ad Gubernatorem Inſulæ, & ad Generalem Societatis multis epiſtolis, in quibus tam honorificè de Jeſuitis loquitur, quàm olim ex Sina ſcripſerat; affirmans Regi, & Gubernatori, ſe nullo privato erga Jeſuitas affectu ductum optare, & poſtulare, ut in ſua Urbe Collegium habeant; ſed ut ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, ac bonum commune illorum ope procuret. Illos jam hic docere Theologiam moralem; & iſto munere, aliiſque præclarè fungi, *adeò ut plurimùm*, inquit, *me juvent in ferendo Epiſcopatus one-*

onere . Epiſtolas illas P. le Tellier refert in ſecundo tomo ſuæ defenſionis.

Hæc omnia de Navarretta qui audierit, & attentè ponderaverit, movebitur is parùm ipſius contrà Jeſuitas authoritate circà ritus Sinenſium; ideòque Reverendiſſimus Dominus Maigrot, & Dominus Charmot, qui ſuæ accuſationis totum ferè pondus in ea reponunt; eo ipſo ſatis manifeſtant iſtis in quæſtionibus ſe parum eſſe verſatos.

Quàm falſa ſint quæ Dominus Charmot in hiſtoria cultûs Sinenſium pagina 38. narrat de Miſſionariis è Societate, ſatis conſtat ex dictis in obſervatione prima. Non ſolùm falſa ſunt, ſed nec umbram habent veriſimilitudinis, quæ addit ex teſtimonio Navarrettæ: prohibitos eſſe ſuis Neophytis ritus erga Confucium, & Progenitores mortuos, etiam poſt Decretum anni 1656. ab alquot Societatis Patri-

bus,

bus, quos inter reponit P. Antonium Govea, & P. Alvarum Semedo. Primus enim ille ipſe eſt non modò unus ex iis, qui Decretis Cantonienſis cœtûs ſubſcripſerunt, ſed etiam ad quem Navarretta ſuam ipſius miſit ſubſcriptionem, quam teſtatur P. Sarpetrus Dominicanus ſe legiſſe. Alter (i) autem nempè Alvarus Semedo Ille eſt, quem tam falsò citavit Dominus Charmot, ut probaret ejus authoritate Sinas vera offerre ſacrificia ſuis Majoribus, cùm è contrario Pater Semedo in hoc ipſo loco hæc habeat. (K) *Iſtæ oblationes, aut cæremoniæ non ſunt propriè ſacrificia ſuis Majoribus oblata; quia non credunt ſuos Majores eſſe nec Deos, nec Sanctos; ſed ſunt ſolùm demonſtrationes gratitudinis, & reverentiæ, quas putant ſe iis debere, à quibus vitam acceperunt.* Pergat judicare æquus Lector quam fidem habere de-

(i) *In hiſt. cult. Sinenſ. pag.* 497.
(K) Part. 1. c. 19. pag. 121.

debeat pleriſque Jeſuitarum Adverſariis, inprimiſque Navarrettæ.

Multùm quoque reponunt Reverendiſſimus Dominus Maigrot, & Dominus Charmot in authoritate P. Joannis Baptiſtæ de Morales ex ſacro etiam S. Dominici Ordine, qui anno 1644. ſeptemdecim quæſita contrà cæremonias Sinenſes Sacræ Congregationi propoſuit, habuitque totidem reſponſa juxtà factorum expoſitionem Sacra Congregatione digna.

Sed cùm hic agatur de quæſtione facti, nempè an Confucius, ac Progenitores mortui apud Sinas ſint Idola, ut volunt Reverendiſſimus Dominus Maigrot, & D. Charmot; quibus nempè in Altaribus, ac Templis propriè dictis vera offeruntur ſacrificia; authoritas R. P. Joannis Baptiſtæ de Morales id affirmantis non poteſt eſſe Romæ magni ponderis, ſi conferatur cum authoritate contraria id negante.

Quia primò, Notorium eſt, Reve-

verendo Patri de Morales, viro alioqui pio, quandò ex Sina Romam properavit ad proponendas ſuas quæſtiones, multa defuiſſe quæ erant neceſſaria ad examinandam illam facti quæſtionem; ſed multò magis ad eam definiendam. Ut reliqua taceam, erat ſatis novus, & rudis in litteris Sinenſibus, quarum vix paucas tunc noverat, cùm ſint tamen apud Sinas quinquaginta litterarum millia, & pleræque multas omninò, & ſæpè valdè diverſas ſignificationes habeant. In Sinam ingreſſus erat anno 1633. cum aliis aliquot tam ex S. Dominici, quàm ex S. Franciſci Ordine: defectus experientiæ, & exceſſus zeli dederunt occaſionem gravi perſecutioni, quæ incepit anno 1637. Incarcerati Miſſionarii, vel profugi, vel occulti latuerunt: ipſe autem anno 1639. ut dictum eſt, ſeſe itineri commiſit Romam versùs, ut ſua ſeptemdecim quæſita proponeret.

Secundò. Sola ipſa ſeptemdecim

cim quæſita probant, quàm tunc eſſet parùm inſtructus de rebus Sinicis Reverendus ille Pater. Multa enim in illis ſupponit quaſi apud Sinas ſive Chriſtianos, ſive Infideles communia, quæ tamen ſunt falſiſſima.

Primò. Enim falsò ſupponit apud Sinas lege ſtabilitum eſſe, ut in mutuo 30. (l) pro centum accipiantur, abſque reſpectu lucri ceſſantis, & damni emergentis: nulla omninò hujuſmodi lex eſt, nequè unquàm citari potuit.

Secundò. Falsò ſupponit alium apud Sinas fænerandi pecuniam modum non haberi, niſi ex ſolo motivo mutui cum aliquo periculo ſortis. Certum eſt enim Sinenſes etiam Infideles lumine naturali cognoſcere uſuram eſſe illicitam, neque incognitam illis eſſe rationem lucri ceſſantis, & damni emergentis, gentibus omnibus notam. Non minùs conſtat eos, qui in exigendo lucro æquitatis limites

(l) *Philippucc. in ſuo prælud. cap.* 1.

tranſcendunt , exoſos fieri omnibus, digitòque notari.

Tertiò. Falsò ſupponit domos illas , ubi accepto pignore pecunia fæneratur , eſſe ex genere ſuo, atque abſolutè uſurarias . Non ſunt enim ; ſi nihil à debitoribus exigitur , quàm quod juſtis titulis debent.

Quartò . Falsò ſupponit non fuiſſe inſtructos Sinas Neophytos, quibus tantùm titulis aliquid ex data mutuo pecunia licitè accipi poſſit ſuprà ſortem . Anno etiam 1584. prodierat jam liber P. Michaelis Rogerii , & alii deinceps, in quibus accuratè iſta explicantur, & inprimis quàm debeat eſſe proportionatum his titulis lucrum.

Quintò . Falsò ſupponit Sinenſes ad fænerandum hoc modo Judicis authoritate compelli : notorium eſt autem in toto Regno hoc negotiationis genus eſſe ipſis liberrimum.

Sextò . Falsò ſupponit ex malè in-

intellectis his litteris *Tam L'y ciēn* Neophytos Sinas exercere ſine ſcrupulo uſuram, hancque permittere Miſſionarios. Quod eſt falſiſſimum. Voces enim illæ ſignificant pecuniam dare ad lucrum in genere, non verò ad hanc ſpeciem lucri, quæ mala ſit, & uſuraria.

Septimò. Falsò ſupponit malè inſtructos eſſe Neophytos circà contributiones. quæ ab illis exiguntur ad communem populi Feſtivitatem ſive indifferentem, ſive illicitam. Quæſita Miſſionariorum Romam miſſa, & reddita Romæ reſponſa ea de re quamplurima probant, quàm circumſpectè ſemper egerint.

Octavò. Falsò ſupponit permiſſum fuiſſe Mandarinis Neophytis, ut Idolum exteriùs adorarent, directa interiùs ad Crucem adoratione. Publicè notum eſt in tota China Societatis Patres ne per umbram quidem tam abominabile factum unquàm permiſiſſe ſuis Neophytis: quod reverâ permitti non

 poſ-

poſſet abſque ſumma impietate, vel ignorantia.

Nonò. Falsò ſupponit Confucium coli à Sinis ut verè Sanctum ſanctitate ſupernaturali, cujus illi ne ullam quidem habent notionem. Id autem ſupponit ex ignorantia vocis (*Xim*) quam adhibuerunt tam Miſſionarii, quàm Neophyti ad ſignificandam veram ſanctitatem, quam ex proprio, & communi Sinenſium ſenſu non ſignificabat. Ut olim à fidelibus vox Sanctus, & ſanctitas, aſſumpta eſt ad ſignificandum id quod anteà non ſignificabat, ut videri poteſt in antiquis Authoribus.

Longior ſim, ſi reliqua percurrero: Enumerantur enim 42. ſuppoſitiones hujuſmodi falſæ, quas ſeptemdecim quæſita Reverendi Patris de Morales Sacræ Congregationi oblata continent. Abſit ut ea imputem malo Reverendi Patris animo, vel livori; ſoli hæc tribuo rerum Sinicarum ignorantiæ: dum interrogaret Sinas, fortè nec in-

intelligebatur à Sinis, neque Sinas intelligebat. Sicut nunc R. P. Lucas, qui vix poteſt loqui cum illis, niſi per ſigna, ut ex ejus epiſtola patet, quâ Mandatum Reverendiſſimi tam magnificè commendat. Hunc tamen R. Patrem, qui de ſeipſo teſtatur quòd per ſigna Confeſſiones Sinarum audiat, proponit Dominus Charmot Sacræ Congregationi (*m*) *tanquàm virum cujus authoritas, & fides* (*in rebus nempè Sinicis*) *conſpicuis virtutibus, atque ſcientiâ ſuſtinetur*. Injuriam facit Dominus Charmot paucis aliis teſtibus, quos venditat: etſi enim ſint fortè paulò minùs R. Patre Luca neoterici; teſtimonio tamen Domini Charmot quam habere fidem ea in re Sacra poteſt Congregatio?

Tertiò, Porrò R. Patrem de Morales, cùm Roma in Chinam rediit circà annum 1649. agnoviſſe ſe anteà fuiſſe deceptum, qui dixerunt, non carebant fundamen-

(m) *In hiſt. cult. Sinenſ. cap.* 469.

to. Multæ ſunt enim graves iſta ſentiendi rationes, quas refert Reverendus Pater le Tellier, & hîc paucis tango. Sic ſentiet qui attentè expenderit quæ ſequuntur.

Primò. Enim cùm Sacræ Congregationi ſeptemdecim dubia, ſeu quæſita propoſuiſſet, ut videre eſt in Decreto anni 1645. nullum ex illis in Chinam reverſus Sinis expoſuit. Vidit procul dubio meliùs inſtructus Sinas vehementer indignaturos, ſi reſcirent ſe fuiſſe Romæ, & in tota Europa falsò accuſatos graviſſimorum ſcelerum, quorum reos illos ſupponunt Reverendi Patris ſeu quæſita, ſeu dubia.

Secundò. Ex ſeptemdecim reſponſis, quæ ſuper totidem dubiis obtinuerat, novem ſilentio prætermiſit, nempè 4. 5. 6. 10. 12. 13. 14. 15. 16. in quibus agitur de Baptiſmo Uſurariorum publicorum; de reſtitutione, quam ab eorum hæredibus exigi oporteat; de pecunia, quam Sinæ pendere

ju-

jubentur in Feſta, & Sacrificia Idolorum; de honore, quem iidem exhibent ſuo Doctori Confucio; de iis, qui ante Idolum aliquod proſtrati, ſuam dicebantur intentionem dirigere ad Crucem aliquam inter flores in altari latentem; de genuflexionibus fieri ſolitis ante defunctorum feretrum; de neceſſitate ſignificandi Neophytis, priuſquàm ad Baptiſmum admittantur, cultum Dæmonum, & Idolorum eſſe prorsùs illicitum; de uſu vocis Sinenſis, *Xing*, erga Doctorem Confucium; de altari, quod Sinarum Regi dedicatum eſſet; de precibus, quas fundi dixerat pro Paganis in ſua infidelitate defunctis.

Novem hæc quæſita cum ſuis totidem reſponſis prætermiſit R. P. de Morales in ſua interpretatione Sinenſi. Non aliam, ut credimus, ob cauſam, quàm quia cognovit in reditu ſe, priuſquam diſcederet, malè fuiſſe informatum, ſupponitque in dubiis illis, ac reſpon-

ſis multa ſcelera Siniis incognita ; & chimerica . Et verò ſi ita non ſenſiſſet , potuiſſet ne Vir Religioſus tacere , & diſſimulare Pontificis Romani reſponſa ſceleribus illis , ſi vera fuiſſent , abolendis tam utilia , & neceſſaria , maximè quæ ipſi tot laboribus , ac periculis Romam ipſam ad obtinenda illa profecto conſtitiſſent ? Hæc ſentire de Viro Religioſo , & ſalutis animarum ſtudioſo non licet .

Quartò . Quod ſpectat ad octo alia reſponſa , quæ idem R. Pater ad Chriſtianorum inſtructionem Sinicâ linguâ vulgavit , eadem vel compendiosè tantùm , vel cum certo quodam veluti temperamento , ac modificatione poſuit . Unde multa tam quoàd voces , quàm quoàd ſenſum ſublata ſunt : ut facilè apparebit cuilibet conferenti hæc abbreviata reſponſa , quæ hic ſubjicio , cum ipſius Sacræ Congregationis reſponſis , prout continentur in Decreto .

1. Omnibus utriuſque ſexûs diẽ

Do-

Dominicum, & magnos dies Feſtos, abſtinentiam à carnibus, & jejunia ſervare convenit.

2. Tempore Baptiſmi convenit, ut Sacerdos omnes mulieres ſancto Oleo (Catechumenorum) inungat, & ſanctum Sal guſtandum eis præbeat; & in mortis articulo convenit, ut ſanctum Oleum eis conferat.

3. Non convenit pecuniam dare ad uſuram.

7. Non convenit offerre Sacrificia *Chîm Hoam*.

8. Non convenit offerre Sacrificia Confucio.

9. Non convenit Chriſtianos Regiæ Sinarum Familiæ *Tà mim* dictæ regimini ſubjectos ſacrificia offerre Majoribus defunctis.

11. Majorum defunctorum tabellas exponere Chriſtianis non convenit.

17. Tẽpore Prædicationis omnia ad Domini noſtri Jeſu-Chriſti Incarnationem, & Paſſionem pertinentia convenit promulgare, & Je-

Jeſu-Chriſti Crucifixi Imaginem in Domini altari erigere.

Qui hæc reſponſa, ut fuerunt in libello à R. Patre de Morales Sinis propoſita, cum Sacræ Congregationis reſponſis conferet, vehementer mirabitur immutationes in illis factas.

Nam primò. Quòd dicat non convenire offerre ſacrificia Confucio, & Majoribus, cum vox Sinica *Ci*, vel munus politicum ſignificet, vel ſacrificium, & multa alia; (habet enim magnam in ſignificando vox illa latitudinem) ſi per illam vocem hic munera politica intelligat, hæc non prohibuit Sacra Congregatio; ſi ſacrificia propriè dicta, non ſufficiebat dicere *non convenit*, quod præceptum non ſonat; ſed id exprimere debuerat per *non licet*, illicitum eſt, prohibitum eſt.

Sic pariter non modò non convenit pecuniam ad uſuram non dare; ſed id non licet; id lege omni divina, humanaque prohi-

bitum eſt. Ita locutus eſt R. Pater de Morales, quia poſt reditum, ſuis auditis, incepit diſcere vocem Sinicam *Ci*, multa habere ſignificata: voces *Tàm Ly cien* ſumi & in bonam, & in malam partem, ſeu potiùs ſignificare tantùm in genere, pecuniam dare ad lucrum. Cùm ergo non haberet ſufficientem adhuc ad hæc diſcutienda litterarum Sinicarum notitiam, non auſus eſt proponere Sacræ Congregationis reſponſa, ut jacent; ſed quia verum eſt non convenire etiam quod non licet; ſic attemperavit hæc reſponſa, ut ſua jam magis eſſent, quàm Sacræ Congregationis. Suſpicari id aliud nolim de viro pio, ac religioſo in his omnibus, quàm zelum gloriæ Dei, & animarum ſalutis non ſecundùm ſcientiam.

Secundò. Quòd dicat non convenire, ut Chriſtiani reponant Majorum tabellas, ſi ſignificare vellet id non licere, Sacræ Congregationis mentem non exprimeret, quæ

quæ illas tantùm prohibet in altari propriè dicto.

Multa omninò addi poſſent contrà hunc agendi modum R. Patris de Morales : lege ea de re tractatum integrum à Patre Philippuccio compoſitum , unde quæ dicimus excerpta ſunt. In hoc planè propendeo ut credam , zelo ſuo fuiſſe intempeſtivè abreptum : plus æquo repoſuiſſe in authoritate aliorum parùm expertorum : nempè quidquid ab his dictum ſibi erat contrà Sinenſium ritus , hoc credulis auribus excepit, & quod ipſe oculis viderat , ex ante occupato judicio vel crimen , vel periculum habere exiſtimavit.

Itaque ex ea perſuaſione zelus accenſus eſt: Romam venit, quæſita obtulit ; reſponſa deferenda impetravit; ſed poſtquàm ad Sinas reverſus eſt, multùm fuiſſe immutatum advertit non in rebus ipſis, quæ eadem ſemper erant , ſed in Miſſionariorum ſententiis : qui enim, ut dixi, ex ſacro ſuo Ordine vel re-

remanſerant in China, vel poſt diſceſſum ſuum advenerant Evangelii Præcones, temporis beneficio veritatem agnoverant; & in eandem cum Rev. Patre Joanne Garcia ſapientiſſimo ſui Ordinis Miſſionario ſententiam producti erant.

Nempè jam ſibi perſuaſum erat nihil Sinenſibus Neophytis permitti, quod lege divinâ vetitum eſſet; nihil eos celari, quod veris Chriſtianis ignotum eſſe non licet: quia tamen ſciebat omnes hunc iviſſe Romam, propoſuiſſe dubia, accepiſſe reſponſa, putavit reddendam eſſe aliquam ſui itineris rationem, propoſitis eo modo, quem explicui, reſponſis Romanis.

Quintò. Sanè conſtat Rev. Patrem Joannem de Morales non modò hæc Sacræ Congregationis reſponſa occultaſſe; ſed & ſuo quem ſcripſit libello efficaciſſimè egiſſe, ut procul amoveret ſcrupulos omnes, qui ſuper ritibus hu-

hujuſmodi in eorum animis oboriri poſſent.

Nam ritus illi in ſola Confucii, & veterum ſeu Doctorum, ſeu Legislatorum Sinenſium doctrina fundantur: hæc autem doctrina continetur in ſex antiquis libris, quos vocant claſſicos; ita ut ſi quis ejuſmodi libros, & doctrinam approbet, hunc neceſſe ſit pariter approbare quidquid circà Confucium, & defunctos præſtatur à Sinis.

Atqui hoc ipſorum præſtitit R. P. de Morales poſt ſuum in Sinas reditum, & præſtitit quidem verbis tam claris, & tali Confucii encomio, ut veritatis ipſius limites multùm exceſſiſſe videatur.

Sic enim habet in libello ſuo Sinico pagina 6.

Sex libri Claſſici (nempè Sinarum) *ſunt ſcripta conformia legi naturali*. Hinc concludo contrà Reverendiſſimum Dominum Maigrot, Primò. Non doceri Atheiſmum his in libris; nil eſt enim magis

magis conforme legi naturali, quàm aliquo Numen agnoſcere, & colere. Secundò. Antiquos Sinas Deum verum agnoviſſe ſub nomine *Xām-tī*, & *Tiēn*; quod patebit modò adhuc magis ex eodem Reverendo Patre. Tertiò. Ritus in iſtis libris præſcriptos erga Progenitores non eſſe religioſos; multò minùs ſacrificia propriè dicta, quæ ſoli Deo conveniunt.

Rursùm in eodem libello ſic de Confucio loquitur Reverendus Pater.

Cœlum, Tiēn, *Aſſumpſit Confucium, ut eſſet ligneum crepitaculum ad homines jamdiù exleges edocendos: ideò illum Legati munere fungentem miſit ad ſurdos excitandos, & cæcos expergiſcendos, ac ſi eſſet Dei Præcurſor.*

Hinc quoque concludo contrà Reverendiſſimum Dominum Maigrot: primò, Deum, Optimum Maximum ex Reverendo Patre de Morales poſſe dici *Tiēn*, Cœlum apud Sinas; ideòque voces illas,

Cœ-

Cœlum colito, non habere apud eoſdem Sinas ſenſum idololatricum, cùm à Chriſtianis vel pronunciantur, vel ſcribuntur. Secundò. Cum electum dicat à Deo Confucium, miſſumque ab illo quaſi Legatum, vel etiam quaſi Chriſti Præcurſorem, Reverendo huic Patri perſuaſum eſſe debere, approbatos, & & præſcriptos à Confucio ritus in cæremoniis Progenitorum, non poſſe dici cultum religioſum, & divinum; ſed merè civilem, & politicum, qualem explicuit P. Riccius, & poſt illum tot Evangelii Præcones tam è Societate, quàm ex Sacro Prædicatorum Ordine. Tertiò. Rev. Patrem de Morales longè aliter ſenſiſſe de Confucio, quàm Reverendiſſimum Dominum Maigrot. Hic enim vult Atheum fuiſſe, Principem Atheorum, & Atheiſmi Magiſtrum: Ille autem concedit hunc fuiſſe Dei Legatum, ac Præcurſorem à Deo miſſum ad inſtruendos homines. Habet ergo Reverendiſſimus etiam ſibi

con-

contrarios, quos in Sinicis litteris Magiſtros, ac ſuarum opinionum Patronos adſciſcit. Conveniant igitur inter ſe prius quàm à nobis diſſentiant. Videt Reverendiſſimus quàm parùm inniti poſſit doctrina, & authoritate Reverendi Patris de Morales, quamque parùm inſtructus eſſet de rebus Sinicis, quando Romam properavit, ſuaque dubia Sacræ Congregationi expoſuit.

Sextò. Intelliget fortè modò non fuiſſe factum multò doctiorem R. illum Patrem poſt ſuum Româ reditum, quàm antea. Proponamus textum integrum. *Erit ſanè*, inquit, *aliquis vir doctus, qui ſic argumentari poſſit, & dicere. Equidem juxtà ritus offerre Ci defunctis, nonne eſt hæc doctrina Confucii? Reſpondeo: Sex volumina (id eſt ſex antiqui, & claſſici Sinarum libri) ſunt naturali legi conformia commentaria. Cælum aſſumpſit Confucium, ut eſſet ligneum crepitaculum ad ho-*

mines jamdiù exleges edocendos; illum Legati munere fungentem miſit ad ſurdos excitandos, & cæcos expergiſcendos, ac ſi eſſet Dei Præcurſor. Nunc verè naturam humanam Deus aſſumpſit, & per ſeipſum magni ſacrificii ritum ſtabilivit. Nato jam ſole, ligneâ faculâ ex palea confectâ uti velle, hoc nonne eſt ſupervacaneus, & ineptus labor? Hactenùs R. Pater de Morales.

Præter jam notata, tria ſunt quæ reprehendo in hoc textu, aliiſque mox addendis, quæ vel ſupinam arguunt in rebus Sinicis ignorantiam, vel magnam in Theologicè diſcurrendo oſcitantiam.

Primum eſt, immodicas eſſe illas laudes, quas R. Pater Confucio attribuit. In hoc tamen ſolus ille non peccavit; habet enim & Socios. Duos ſolùm hic producam. Primus eſt R. P. Thomas, cognomine *Ly*, ex eodem ſancti Dominici Ordine. Sic mentem ſuam de Confucio explicat in libro

bro Sinicè ſcripto, & Manilæ typis excuſo in pagina 112. de Imitatione Chriſti.

Exempli gratiâ, eſt qui dicat, Jeſus Chriſtus ipſe certè Deus eſt: ego verò homo, & nihil ampliùs. Ipſe eſt valdè bonus, & magna virtute præditus: ego valdè inferius imperitus, valdè inferiùs vilis, & ſanè inutilis: quomodò potero illum imitari? Hoc verè difficile eſt: ſi tamen Deus gratiæ munus conferat, & humanas vires adjuvet, difficile non erit. Comparationem à Confucio ſumamus. Ipſe ſanè à nativitate ſapiens eſt, & ſanctus vir. Hoc autem quomodò potuit obtinere?

Clarè patet Confucium ibi vocari à nativitate ſapientem, & virum ſanctum verà, & ſupernaturali ſanctitate, ut inferri debet legitimè ex verbis contextûs illius inter ſe collatis, cum agatur ibi de Imitatione Chriſti per iſtiuſmodi ſanctitatem: atque utrumque falſum eſt. Primum, quia ipſe

Confucius apertè fatetur habuiſſe ſe Magiſtros, paulatimque rerum ſcientiam ad ſenium uſque didiciſſe. Secundùm, quia ne ipſi quidem Sinæ Confucio attribuunt ſanctitatem illam, de qua eſt quæſtio. Unde nec dici debet, vel Legatus Dei, vel Præcurſor Chriſti.

Secundus eſt R. P. Fr. Antonius de Sancta Maria Ordinis Sancti Franciſci, qui in libro Sinicè ſcripto, cui titulus eſt; *Tiēn* Cœli, ſeu Dei Legis, & Sinenſium Litterariæ Sectæ, ad modum ſigilli, & rei ſigillatæ conformitas, ſic ait. *Cœlum, ſeu* Tiēn (n) *aſſumpſit Confucium ad hoc ut eſſet ligneum crepitaculum. (Hinc) ſimul intelligitur (hoc quod eſt) Confucium præſidêre doctrinæ, ejuſque promulgationi, à Superioris Cœli mandato gubernari*. Ita ille.

Undè ſic arguo contrà tres illos Miſſionarios. Chriſtus dicit: *Omnis arbor bona bonos fructus facit:*

(n) Vide Philippuccium jam typis editum.

facit : omnis arbor mala malos fructus facit . Non poteſt arbor bona malos fructus facere , neque arbor mala bonos fructus facere. Si ergo hi velint Confucium fuiſſe arborem bonam , cùm omninò conſtet Sinenſes ritus circà cultum defunctorum ex tradita à Confucio doctrina procedere , cur hos dicent idololatricos ? Cur ut tales Romæ eos propoſuit R. P. de Morales ? Confucius is Romæ traducit ut ſuperſtitionum , & Idololatriæ parentem : in Sina ut Legatum Dei , atque Chriſti Præcurſorem. Hi tamen ſunt Reverendiſſimi Domini Maigrot in rebus Sinicis Magiſtri , & Doctores : horum authoritate ſubnixus ſententiam aggreditur non Societatis modò , ſed & tot Evangelii Præconum ex Ordine Sancti Dominici , quos ex tam levi , & tam nullo fundamento , ſicut & eorum Chriſtianos , Idololatriæ apud Sanctam Sedem accuſat.

Alterum ex tribus , quæ in

textu R. Parris de Morales reprehendendo, illud eſt, quòd legenti ſatis clarè inſinuet per inſtitutionem ſacrificii Miſſæ, tanquàm ad ortum ſolis mirabiliter coruſcantis, cætera omnia priſca ſacrificia (inter quæ etiam Sinenſium munera Confucio, & defunctis oblata admunerari videntur, ſi totum contextum benè perpendas) tanquàm tenuiſſimas faculas conſpici deſiiſſe, imò ceſſaſſe, & evanuiſſe: ergo ante inſtitutum à Chriſto Domino Miſſæ ſacrificium, non ſolùm veteris Legis Sacrificia licita erant, ſed etiam à Confucio (ut falsò ſupponitur) in honorem defunctorum inſtituta ſacrificia erant pariter licita. Ex præmiſſis in textu poſitis hæc videtur inferri legitima conſequentia, quæ tamen Chriſtianum nec decet, nec ſapit. Itaque vel munera hujuſmodi ſunt cultus merè civilis, ut tam ſolidè ſuprà probatum eſt, ac proindè nullam habent ad inſtitutum Miſſæ Sacrificium relationem; vel ſunt cultus

cultus religioſus, ac divinus', & tunc, neque ante, neque poſt Chriſtum hæc licita eſſe potuerunt; authoremque, vel approbatorem Confucium non tam denotarent Dei Legatum, quàm Diaboli; neque Præcurſorem Chriſti, ſed Antichriſti.

Inde ſolùm colligamus hos Reverendiſſimi Domini Maigrot Magiſtros non admodùm conſequenter loqui.

Tertium quod reprehendo illud eſt, Sinenſes jamdiù exleges à Confucio naturalem Legem electos. Id enim ipſum manifeſtè refellit ipſe Confucius in libro *Lièn yù,* initio capitis ſeptimi. Ego, inquit ibi, refero, & non meo marte compono: credo, & amo antiquos ſapientes. Commentator verò nomine *Chiû hy*, ſic in perſona Confucii hunc locum exponit. *Refero & promulgo antiqua, & nihil ampliùs*; tum. probat Confucium veram doctrinam docuiſſe, nec aliquid novi protuliſſe. Ex quo pa-

tet falsò dictum à Reverendo Patre de Morales quod hic arguimus; huncque Rev. Patrem ſatis parùm videri inſtructum fuiſſe de rebus Sinicis, tam poſt ſuum Româ in Sinas reditum, quàm anteà.

Poſt Reverendiſſimum Navarrettam, & Rev. Patrem de Morales nemo Reverendiſſimo Domino Maigrot acceptior Reverendo Patre Antonio à Sancta Maria, qui contrà ritus Confucii, Progenitorumque ſemper diſputavit.

At neque magna eſt Rev. hujus Patris authoritas in ſe ſpectata; nulla autem ſi cum oppoſita comparetur.

Quia primò: Ex citato mox ipſius textu clarè patet, vel contradictoria hunc ſenſiſſe, vel aliter de Confucio, quàm Reverendiſſimum Dominum. Reverendus enim Pater ille Deum Optimum, Maximum in tribus lineis bis appellat *Tièn*, ſeu Cęlum, ſentitque de Confucio, quæ Reverendus Pater

de

de Morales; hunc à Deo miſſum eſſe, ut doctrinæ Præceptorem, ac Magiſtrum, quem Atheum putat Reverendiſſimus.

Quia ſecundò. Reverendus Pater Sarpetri Dominicanus, qui aliquot annis cum Reverendo Patre Antonio vixit, in litteris ad Sacram Congregationem ſcriptis hunc, alioqui pium, religioſumque virum, deſcribit fuiſſe propoſiti adeò tenacem, ut in rebus etiam obviis, ac facilibus à propria ſententia diſcedere vix unquàm poſſet. Hæc de illo narrat. (o) *Pater Antonius à Sancta Maria vellet omninò imperari à nobis, ut Sinenſes Chriſtiani detecto capite intereſſent ſacrificio, à nobiſque ita celebrari, non obſtante licentia ab Apoſtolica Sede conceſſa.*

Quod ſpectat ad primum: hoc imperare, eſt cogere Neophytos ad audiendam ſine ulla reverentia Miſſam; eſt enim recepta apud Sinas conſuetudo, ut tectum habere caput

(o) In Litteris recèns editis.

caput ſit reverentiæ ſignum. Suæ tamen in eo ſententiæ tam firmiter adhæſit R. P. Antonius, ut per multos annos maluerit Sacramenta non adminiſtrare Fidelibus, quàm cum aliis ſentire, nullum in hoc incommodum reperiri. Qui ſic à natura comparatus eſt, etſi aliundè pius ſit, non eſt is cujus authoritas in aliqua ſententia confirmanda magni eſſe poſſit ponderis apud virum ſapientem.

Addit R. P. Sarpetri de eodem, quòd opinioni ſemel conceptæ adhæreat quaſi demonſtrationi, aut articulis fidei; adeò ut cum ſibi objectis reſpondere debet, ita reſpondeat, ut agere in hoc caſu non mens ejus, ſed ſola voluntas videatur. *Nunquàm id faciam*, inquit, *nunquàm id permittam*. Hujuſmodi obſtinationem, quantumcumque piam, Miſſioni plurimum nocere prædictus Pater affirmat, putatque id non carere *aliqua Dæmonis illuſione*.

Quod ſpectat ad Longobardi ſen-

ſententiam de Sinarum Philoſophia. Reſpondeo primò. Hunc fuiſſe pietate, ac zelo præſtantiorem, quàm Philoſophiâ, & Theologiâ: in his enim ſcientiis Theologorum judicio non ſatis profecerat, ut apud nos Profeſſi gradum obtineret: unde quoàd iſta non eſt conferendus nec Patri Matthæo Riccio, neque tot aliis alibi citatis tam è ſacro Dominicanorum Ordine, quàm è Societate noſtra, qui non modò Profeſſi quatuor votorum, ideòque docendæ Philoſophiæ, ac Theologiæ idonei judicati ſunt, ſed & Profeſſores ſcientias illas docuerunt. Authoritas ergo Longobardi in hoc caſu comparata cum authoritate aliorum ſatis leve momentum habet.

Reſpondeo ſecundò. Longobardum iſta ſcripſiſſe, dum ferverent illæ quæſtiones, non ut typis ea mandaret, ſed ut propoſitis hinc inde objectionibus de re tota meliùs, ſolidiùſque poſſet judicari. Unde cum à Navarretta opuſcu-

lum Longobardi editum ſit in Hiſpania, ſicut titulus mutatus eſt, potuerunt, & multa alia immutari per additionem, vel detractionem. Quæ ſuo loco dicta ſunt, & probata de Navarrettica fide, magnam omninò fidem detrahunt eorum pleriſque, quæ ſola ipſius authoritate nituntur.

Reſpondeo tertiò. Suæ huic ſententiæ non ſic adhæſiſſe Longobardum, quin viderit oppoſitam fundamento niti ſolido, ac proindè quin probaret aliorum praxim.

Reſpondeo quartò. Rejectam fuiſſe à Longobardo vocem *Tiēn-chū*, quam adoptat Reverendiſſimus, pugnaſſeque ſatis acriter pro Deo Optimo Europæis tantùm vocibus nuncupando, non Sinicis. Sed Adverſarios habuit ſe ipſo, ut dixi, magis Philoſophos, ac Theologos; unde ſententia oppoſita, planè prævaluit apud omnes Evangelii Miniſtros; imò & apud Reverendiſſimum.

Alium nobis opponit Jeſuitam Do-

Dominus Charmot, nempè R. Patrem Bartholomæum Roboredo, in cujus authoritate magnum omninò robur reponit, ut falſas convincat illas Martinii voces. *Omnes ante nomen Philoſophi, nihil omninò offerendo, faciunt illas cæremonias.* Sed apparet Dominum Charmot compilaſſe Navarrettam; de cætero in his omnibus non eſſe valdè verſatum.

Reſpondeo ergo primò. Longum illum, quem citat, Roboredi textum ſolâ Navarrettæ fide inniti: ideòque ex hac parte multùm vacillare.

Reſpondeo ſecundò. Fore ut puderet Dominum Charmot in rebus Sinicis ad authoritatem Roboredi confugere, ſi Roboredum noviſſet. Hinc judicet de Navarretta, qui Roboredum noverat. Pater Roboredo nunquàm ingreſſus eſt Sinas. Venit Macaum ex India cum Patre Brancato: Macaoque, vix paucis menſibus ibi tranſactis, Manilam miſſus eſt; quodque notandum,

dum, dum is ſuit in Urbe Macao, nullum ibi Sinenſem reperit Miſſionarium, teſte eodem Brancato. Denique cùm inventus eſſet minus habens, expulſus eſt è Societate. Ecce gravem planè teſtem rerum Sinicarum, dignum cujus verba, non aliâ quàm Navarrettæ fide relata, quatuor implerent paginas Charmotii Memorialis Eminentiſſimis Patribus oblati!

Reſpondeo tertiò. Aliud citavit Navarretta Patris Roboredo teſtimonium, quod ex ipſo Navarretta falſum eſſe convincitur. Sic enim habet pag. 318. col. 2. n. 4. *Antiqui è Societate Miſſionarii Sinicis moribus dignoſcendis, legendiſque libris diù, ac multùm exercitati per annos quadraginta, & ampliùs, non duxere permittendum Neophytis, ut erga defunctos Progenitores præſcriptas cæremonias adhiberent. Atque hujus rei teſtimonium propriâ manu ſcriptum, & appoſito nomine confirmatum anno 1637. Pater Bartholo-*

mæus

mæus Roboredus Macaenſiis Collegii Procurator Manilæ, tradidit clariſſimo viro Laurentio Laſo, Militum in Philippinis Inſulis Tribuno. Et pag. 403. col. 1. illud ipſum ſcripſit Pater Roboredus, ut ſuprà retuli ad num. 4.

Hoc ſi reverâ ſcriptum eſſet à P. Roboredo, falsò ſcriptum eſſet; ſed quàm falsò ſcripſiſſet, tam verum eſt non ſcripſiſſe. Teſtem appellamus ipſum Navarrettam, qui ad calcem ſecundi ſui tomi pag. 484. ſcriptum illud P. Roboredi integrum bis publicavit, ſemel quidem ſolum, ac ſeorſim, deinde per capita, ſeu clauſulas diſtinctum, una cum reſponſione ſingulis ſubjecta: neutro autem in loco veſtigium ullum reperies ficti illius antiquos inter, & recentiores Jeſuitas diſcriminis. Quæ ipſa res argumento eſſe poteſt, quantùm hujus hominis fidelitati in citandis authoribus credendum ſit.

Reſpondeo quartò. Priorem illum Roboredi à Domino Char-

mot adductum textum nihil probare contrà Martinium; agit enim Martinius de ſola graduum accipiendorum cæremonia, in qua certum eſt nihil offerri Confucio à Graduandis. Pater autem Roboredo, etſi multa narret quæ falſa ſunt, videtur tamen ſolùm loqui de duplici ſolemnitate, quæ bis in anno in honorem Confucii celebratur, & à nullo Miſſionario Neophytis permittitur.

Quod pertinet ad Reverendiſſimum Patrem à Leoniſſa, hoc habemus dicere, dubium videri poſſe an omnia, quæ à Reverendiſſimo Domino Maigrot damnata ſunt, ipſe quoque damnari digna cenſeat, an aliqua ſolùm; & quæ porrò iſta ſint? Notum eſt Sacræ Congregationi fuiſſe illum jam inde ab anno 1680. Socium D. Gregorii Lopez Epiſcopi Baſilitani, à cujus ſententia, quoàd iſte vixit, in iis quæ ad Confucium, mortuoſque ſpectant, diſcrepare nuſquam nobis viſus. Utrum autem,

iſto è vivis ſublato, alios ſuper hac re ſenſus induerit, ut non temerè à nobis negandum putamus, ita ex ejus epiſtolis à Domino Charmot productis certò colligi credimus.

Sed utcumque ſe res habeat, uni Vicario Apoſtolico tres opponimus Epiſcopos PeKinenſem, NanKinenſem, Macaenſem, ſive Cantonienſem, quos certò ſcimus in hiſce qnæſtionibus Reverendiſſimo Vicario eſſe valdè contrarios.

De reliquis ſatis multa, ubi actum eſt de vera Sanctæ Sedis per Patrem Martinum Martinium informatione. Cæterùm quocumque ſint numero, ſi hujus ſolùm ratio habeatur, vincet hac parte Jeſuitarum cauſa, qui vel ſoli hodièque, ut aliàs ſemper, cæteris illis ſimul junctis lõgè ſuperiores numero ſunt.

Quod ſi mortuo Baſilitano Epiſcopo, nullus eſt hodie inter Dominicanos, qui probatam illi ſententiam profiteri audeat, nihil ſanè mirabitur, qui ſciet quantùm

illi ærumnarum ob eam rem à ſuis perferendum fuerit. Docent ejus epiſtolæ ad Summum Pontificem, Innocentium XI. & ad Sacram, Congregationem ſcriptæ 3. Idus Junii 1684. quæ illi inſidiæ à Fratribus paratæ ſint apud Philippinas Inſulas: quomodò illic ab ſuis Moderatoribus ei denunciatum fuerit exuendum potiùs veſte Ordinis, Socioſque omnes è Sinis revocandos eſſe, quàm ut ipſum eò reverti ſinerent: quin etiam propiùs nihil factum fuiſſe, quàm ut vir optimus, & mitiſſimus, ingens ſacræ Familiæ ornamentum, Summi Pontificis mandato, ac Generalis Magiſtri aſſenſu ad Inſulas vocatus, in teterrimum exilium deportaretur, ſenio, & animi mærore, conficiendus: denique tam indignis modis habitum eſſe non alia de, cauſa, quàm quòd Jeſuitarum, opinioni de Sinicis ritibus, magno, ut ajebant, Ordinis dedecore, patrocinaretur.

Ex quo itaque tantum apud Philip-

lippinenſes, Sinenſeſque Dominicanos valuit nonnullorum in Societatis praxim odium, ut ad hæc perpetranda ipſos Familiæ Præſides impulerit, quorum authoritate Sinenſis ſuorum Miſſio regitur? Cui poſthac Dominicanorum Sinenſium tutum eſſet Baſilitani Epiſcopi, hoc eſt, Jeſuitarum ſententiæ ſubſcribere? Quis miretur eos in Jeſuitas conſpiraſſe, qui in Sodalem ſuum, in Epiſcopum tam obſtinatè, tamquè potenter conſpirarunt? Imò verò cum illorum nemo, niſi ex Philippinis, ad Sinas veniat, quis non jure ſuſpicetur caveri illic hodie ante omnia, ne quis ad eam Miſſionem ire ſinatur, de quo tale quidpiam, ut de illo, timeri poſſit?

Atque hinc facilè quiſque intelligit, quantùm momenti in illo Sinenſium Dominicanorum conſenſu ponendum videatur: tantùm videlicet, quantùm ſi de Phyſica Præmotione, vel de Prædeterminantibus decretis ageretur.

Eſt tamen quod addi hoc loco juvet. Sat ſcimus neminem eorum hodie exiſtere, qui litteris Sinicis inſtructior ſit, aut etiam haberi velit, quàm fuerit Pater Franciſcus Varo, aliquot annis poſt ingreſſum in Sinas Reverendiſſimi Domini Maigrot vitâ functus, acer inprimis Navarretticæ opinionis propugnator.

Et tamen hic ipſe Pater Varo unus erat illorum, quos Illuſtriſſimus Gregorius Lopez, eâ, quam dixi epiſtolâ, *tyrones vocabat in litteris, libriſque Sinenſibus; eos affirmans in multis torquere, & exterminare ſenſus characterum ſapientiæ Sinicæ, ſeipſos & alios inaniter ſeducentes, & in abyſſum lubricarum ambagum ſe implicantes.*

Erat, inquam, Pater Varo unus ex eorum numero, quos ita depinxit Baſilitanus Epiſcopus, nec immeritò ſanè; adeò crebra, fædaque ſunt ejus errata in iis, quos tunc maximè ſcriptitabat, libris.

Sed

Sed hæc aliàs, ſi dignum videbitur.

Quod ſi tali elogio dignum noverat ſanctiſſimus Antiſtes, quid hodie diceret de ipſo Patre Salvatore à Sancto Thoma, Dominicanorum Vicario Provinciali, atque inter Mandati approbatores utique præcipuo, qui & ipſe unus erat ex illis ejus adverſariis?

Scio rejectum iri à Reverendiſſimo Domino Maigrot Illuſtriſſimi Baſilitani teſtimonium, quaſi his in quæſtionibus. & Sinicis litteris parùm verſatus eſſet. Omninò talem fuiſſe oportet, cui Reverendiſſimus Dominus Maigrot oppoſitus ſit: abſque hoc foret nullus eo doctior, nullus ſapiētior prædicaretur: quòd eſſet omnium Miſſianariorum eo tempore antiquiſſimus, oriundus è Sinis, inter Sinas educatus, & ab initio hiſce quæſtionibus, ut ipſe admonet, quaſi innutritus.

Ac ne quid hic ex conjectura dicere videamur, docent nos cùm illæ ejus epiſtolæ, tùm ipſe tracta-

tus ad Sacram Congregationem miſſus, quemadmodùm communi ſuorum deliberatione ab Ordinis Moderatoribus electus fuerit, tanquàm omnium maximè idoneus, qui ſuper his rebus eorum nomine ſcriberet, inveſtigaretque quid potiſſimùm in his controverſiis ſequi oporteat. Verùm aliter, ac nonnulli ſperaverant, mandata executus eſt; pro Sacræ Congregationis Decretis contra Navarrettam pugnavit. Hinc illæ lacrymæ. Ab hoc tempore ignarus, excors, indignus ſacro habitu, dignus exilio; & niſi aliter Deo viſum foret, Epiſcopatu, ac Miſſione æternùm cariturus fuit. Tantum crimen extitit cum Jeſuitis ſenſiſſe!

Piget hæc refricare, quæ æterno meliùs ſilentio ſepulta forent; ſed cogit nos veritatis amor, & juſtitiæ, ut eximio Præſuli irrogatam à Reverendiſſimo Domino Maigrot contumeliam repeilamus, veram ejus irrogandæ cauſam referre, qualem ipſe Chriſti Vicario expoſuit. Hæc

Hæc omnia qui attentè perpenderit, planè intelliget, quàm ſic levis authoritas illorum, qui diſputant contrà ritus politicos, & civiles.

OBSERVATIO XII.

Sacra Congregatio, & Apoſtolica Sedes benè informata authoritate ſua ea confirmavit, quæ poterant in dubium ſuper ea quæſtione revocari.

QUæ ſatis fusè dicta ſunt in tertium Mandati caput de ſincera, & legitima Patris Martinii informatione poſſunt hic ſupponi, neque opus eſt ea repetere: ut videant tamen Eminentiſſimi Judices ac Patres, quàm caute egerint Evangellii Miniſtri, duo præſtitêre. Primò. Expoſuerunt Sacræ Congregationi ritus, ac cæremonias à Philoſophis olim inſtitutas ad accipiendos gradus, & ad Progenitores colendos. Secun-

dò. Cùm fieri moraliter non poſſet, quin, uti ante dictum eſt, in nonnullis tanti Imperii Provinciis, vel Urbibus reperirentur aliqui, qui vel ob commercium frequens cum Idololatris, vel etiam quia facti ex Idololatris Litterati, licitis alioqui, politiciſque ritibus ſuas ſuperſtitiones adderent, immiſcerentque; quæſierunt Evangelii Præcones. Primò. An pergerent eſſe primi illi ritus innocentes, ac liciti Chriſtianis, removendo ſuperſtitioſa: ſive an cæremoniæ illæ, quæ ſunt ex Philoſophorum placitis circà defunctos inſtitutæ, Chriſtianis permitti poſſint, prohibendo quidquid ſuperſtitioſum acceſſit? Secundò. Nùm Chriſtiani ſimul cum Infidelibus conſanguineis eaſdem licitas cærimonias facere poſſint? Tertiò. Nùm adeſſe poſſint Chriſtiani, præcipuè factâ fidei proteſtatione, etiam quando Infideles ſuperſtitioſa peragunt, non cooperando, non authorizando, ſed quia valdè notaretur, ſi conſan-

guinei

guinei tunc abeſſent, & eſſent inimicitiæ cauſa, & odii?

Sacra Congregatio, omnibus benè perpenſis, ut alibi probatum eſt, utque negari omninò non poteſt ſine gravi illius injuria, cenſuit, & reſpondit, poſſe tolerari Sinas converſos adhibere dictas cœremonias erga ſuos defunctos, etiam cum Gentilibus, ſublatis tamen ſuperſtitioſis. Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus, quando agunt ſuperſtitioſa; præſertim factâ fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis, & quando aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſſunt. Hæc Sacræ Congregationis reſponſa, feriâ 5. die 23. Martii anno 1656. approbavit, affirmavitque Alexander VII.

Nullus jam ſupereſſe poteſt prudens ſcrupulus Evangelii Miniſtris, qui zelum habent animarum, ſed ſecundùm ſcientiam; qui contentiones non amant & jurgia: qui privatis non ducuntur affectibus, qui in ſuo ſenſu non nimis abun-

dant,

dant ; qui nihil aliud quærunt , quàm ſalutem proximorum, & gloriam Dei ; qui capiunt quantam in divinæ Legis apud Infideles præconibus prudentiam , quantam in iiſdem requirant indulgentiam Apoſtoli, Sancti Patres , Summi Pontifices ; qui noverunt quàm ſtrictè obliget Chriſti præceptum de annunciando Gentibus Evangelio ; quid fieri oporteat in gratiam fidei divinæ , & Evangelicæ Prædicationis ; quàm urgeat novum charitatis mandatum , cùm agitur de æterna vel damnatione , vel ſalute innumerabilium planè hominum , ut iis nempè non claudatur ſine graviſſima , & urgentiſſima cauſa ianua ſalutis & fidei .

Ibi periculum apprehendunt, qui tales ſunt , & quidem proximum non peccati cujuslibet , ſed graviſſimi ; non materialis tantùm culpæ , ſed formalis ; non omittendi ſolùm conſilii , ſed violandi notabiliter præcepti ; quale nihil vident , neque ſuſpicantur in per-

mit-

mittendis ritibus, quos cùm inde tam multa, ſolidaque argumenta probant eſſe quoàd ſubſtantiam politicos, hinc etiam manifeſtè conſpiciunt ad plantandam fidem, propagandamque latiùs apud Sinas, eſſe planè, ſaltem nunc temporis, neceſſarios. Quare illi omninò cenſent ſententiam illam de ritibus Sinenſium politicis non modò eſſe oppoſitâ probabiliorem, non modò evidenter probabiliorem, ac proindè aliquo modo moraliter certam, ſed etiam tutiorem; & fortaſſis unicè tutam.

CONCLUSIONES
DEDUCTÆ
EX OBSERVATIONIBUS
DUODECIM
IN CAPUT QUARTUM
MANDATI MAIGROTIANI.

EXPENDIMUS in hoc loco quæ certò concludi debeant ex dictis hactenùs in quartum hoc caput, de ritibus ad colendum Confucium, ac Progenitores mortuos adhiberi in China ſolitis.

PRIMA CONCLUSIO.

Confucius Philoſophus non colitur in China ut Deus.

Progenitores mortui non coluntur ut Numina.

QUI prohibent ritus Sinenſes (*p*) ideò prohibent, quia putant Idololatricos eſſe: ac proindè ſupponere debent Confucium eſſe Idolum, & haberi Numen in China: Progenitores mortuos eſſe Idola, & haberi à Sinenſibus Numina: ſi enim neque Confucius, nec Progenitores mortui ſunt Idola, ritus, quibus hi coluntur, non ſunt idololatrici.

Et verò fuerint toti in hoc per Europam divulgando, toti in eo Romæ probando tum ratione, tum authoritate, Jeſuitarum Adverſarii.

Ratione quidem: quia, inquiunt, vera

(p) *Hac habes in* 1. *ad Virum Nobilem Epiſtola.*

vera illis Templa eriguntur, offeruntur, vera ſacrificia, & in Altaribus propriè dictis.

Si ita eſt, ut ipſi narrant, dubitari omninò non poteſt quin Sinæ agoſcant aliquid Numinis in Confucio, Numinis aliquid in Majoribus. Probat iſtud magnificè Author Apologiæ Dominicanorum Sinenſium. (q) *Fruſtrà*, inquit, *nobis obiiciunt, qui pro Jeſuitis conſcripſere Apologias, non agnoſci Confucium in China, ut Deum. . . . . . Numquid enim eo ipſo Deus agnoſcitnr, quod ei ſacrificatur? . . . .* Rursùm id authoritate Auguſtin. probat. (r) *Quis ſacrificandum cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?*

Si ergo ſacrificium ex natura ſua ſit oblatio facta ei, qui putatur, vel fingitur eſſe Deus, ad hunc venerandum, vel ut vitæ neceſ-

(q) Apologia Dominicanorum pag. 38. (r) Libro I. de Civit. Dei cap. 4.

ciſque Dominum, vel ut primum Principium in aliquo ſaltem genere: ſique aliundè veris coluntur Confucius, Majoreſque in China ſacrificis, neceſſe eſt hos haberi in China Deos, atque ritus, quibus honorantur, eſſe verè idololatricos.

Quod probaſſe ratione ſe putant, probant & authoritate, levi illa quidem in ſe, ſed apud Dominum Charmot non levis ponderis. Sic enim in Memoriali, quod eſt dictum *Veritas facti*, apud Eminentiſſimos Cardinales concludebat. *Quid poteſt*. inquit, *expreſſius deſiderari, ut conſtet Confucium tanquàm aliquod Numen à Sinis coli*? Ità Dominus Charmot in hiſtoria cultûs Sinenſis pag, 488.

Hinc factum eſt, ut ubique clamitarent contrà Idololatriam Chriſtianorum Sinarum, & terrerent totam Europam ſuis clamoribus. Hinc ad Summum Pontificem ſcribens Reverendiſſimus, *dubitari*, inquit, *meritò poteſt. an*

qui

qui ſunt in China Chriſtiani, iidem ferè omnes non ſint, & Idololatræ? (s).

Sed mox conſtabit affirmare hoc immeritò Reverendiſſimum; malè diſcurrere Apologiſtam; ſtare contrà ſe ipſum Dominum Charmot; & non niſi chimericam eſſe Chriſtianorum Sinarum Idololatriam.

Miſſionarii è Societate qui permittunt ritus Sinenſes, illos ideò permittunt, quòd prudenter judicare ſe putent, eſſe tantùm politicos & civiles: atque negant quidem, & pernegant eſſe Idololatricos.

Ratio palmaris eſt, quòd certò conſtet in China Numen non haberi Confucium: multò minùs Progenitores mortuos, unde quoq; conſtabit eos non coli nec veris ſacrificiis, nec in veris Templis nec in Altaribus propriè dictis.

Quod autem conſtet Idolum non eſſe apud Sinas Confucium, enim-

(s) pag. 403. hiſt. cult. Sinenſ.

enimverò id demonſtratum eſt tum in obſervantibus contrà Reverendiſſimi Mandatum Sacræ Congregationi exhibitis, tum in Libello ſupplici Suæ Sanctitati oblato, & ſic demonſtratum, ut ipſe Dominus Charmot jam annuat, & canat in eo polinodiam.

Quia tamen ſummi eſt momenti in hac graviſſima cauſa, ut ſit manifeſtum in tota Europa, & præſertim Romæ, Confucium non coli in Sinis ut Deum, multò minùs Progenitores mortuos: paucis hic colligo, quæ multis in locis obſervationum ſparſa id demonſtrant.

Primò. Habemus in obſervatione ſeptima textum benè longum Patris Joannis de Paz ex Ordine Sancti Dominici, in quo non modò hoc affirmat, ſed & probat. *In Regno Sina*, inquit, *non attribuitur Confucio divinitas, aut poteſtas aliqua ſuperior, communi hominum ibi habitantium exiſtimatione. Hoc mihi conſtat ex va-*

riis relationibus Religioſorum noſtri Ordinis in Regno Sinæ aſſiſtentium . . . . Hæc ratio ſimiliter oſtendit , quòd nec communi acceptione , nec Lege Regni Confucio cultus religioſus , neque divinitas , neque poteſtas aliqua ei tribuitur . . . . . Hinc colligitur , quòd Confucius non eſt communiter ut Deus in Regno Sinæ acceptus , neque ei poteſtas aliqua tribuitur ; ſi quidem illi ad quos pertinet eum venerari , in eo non agnoſcunt divinitatem, aut aliquam poteſtatem . Ità P. Joannes de Paz in reſponſis ſuis Manilæ editis anno 1680. & à Doctore D. Franciſco Pizarro de Orellana , Archidiacono , atque Vicario Generali Archiepiſcopatûs Manilenſis examinatis , & ſummè laudatis , qui teſtatur ſe de Mandato Archiepiſcopi Manilenſis Philippi Pardo Dominicani hoc opuſculum legiſſe.

Imò ſub finem additur , impreſſum fuiſſe hoc opus cum licentia ejuſdem Archiepiſcopi , atque Reve-

verendi P. Fr. Baltaſſaris de Santa Cruz, Commiſſarii S. Officii, & Provincialis.

Hi omnes procul dubio ſentiebant idem de Confucio, atque reſponſorum Author. Neque abs re erit hic advertere, Archiepiſcopum illum ſatis aliundè contrarium fuiſſe Jeſuitis, atque in hoc opuſculo approbando non id intendiſſe, ut illis faveret.

Porrò quantæ fuerit authoritatis apud ſuos idem Pater Joannes de Paz, dum viveret, & apud omnes alios manifeſtè conſtat ex præliminari, ſeu, ut vocant, dedicatoria Epiſtola ad Rever. P. Antonium de Monroy totius Ordinis Prædicatorum Magiſtrum Generalem. Sic enim ibi de illo habetur. (t) *Ipſum Eccleſiarum Capitula, Religiones, Communitates, Tribunalia; infimæ, mediæ, ſupremeque claſſis homines, in ambiguitatibus ſuis maximè ad mores pertinentibus ducem eligunt, Doctorem*

(*t*) In Epiſt. dedicat. pag. 12.

conſulunt , oraculum venerantur . . . . Venerabiles ipſi Epiſcopi, Sedis Apoſtolicæ delegati Provicariique Generales . . . . conſilium eius exquirunt.

Dubitari itaque non poteſt, quin teſtimonium illud multas ob cauſas ſit pluribus æquivalens.

Secundò. Idem affirmat P. Dominicus à S. Petro etiam Dominicanus. (u) *Non agnoſcunt,* inquit, *Sinæ per ſuum illud* Ci *Confucium, & Progenitores ſuos Supremos rerum omnium Dominos, aut verè Sanctos.* (x) Iterùm *Confucium ergo Magiſtrum agnoſcunt, Progenitores verò, Parentes, atque Authores vitæ, & ſub ea ſola ratione formali venerantur.*

Idem ſentit Gregorius ipſe (y) Sina, ipſe quoque Dominicanus, ipſe

(u) In tractatu Sacræ Congreg. oblato pag. 27.

(x) Ibidem pag. 29.

(y) *In collectione ſcriptorum à Patribus S. Dominici editorum pro ritibus pag.* 85.

ipſe PeKinenſis Antiſtes, & atiquus Miſſionarius. Idem ſentiunt alii magno numero Dominicani, ii præſertim qui in cœtu LanKinenſi, numero tredecim, ad majorem ſuffragiorum partem judicarunt, permittendos eſſe ritus erga Confucium, & Progenitores Alexandri VII. decreto permiſſos, uti refert P. Dominicus à S. Petro, qui præſens aderat.

Tertiò. Id teſtatur Emanuel Diaz Jeſuitarum Vice-Provincialis reſponſum ſibi fuiſſe ab eo, qui præerat oblationibus, dum interrogaretur, an Numen crederent ipſi Confucium eſſe, an partem Numinis; (z) *Putaſne*, inquit, *nos Sinas tam ſtolidos eſſe qui plus quàm hominem eum credamus, quem ſcimus natum, vixiſſe, & obiiſſe?* Addens, ſe ex gratitudine obſervare ritus illos erga Confucium, cui tam multa deberent ob doctrinam ab illo acceptam.

Quartò. Id aſſerit Matthæus

(z) Bartoli in ſua China pag. 75.

Riccius Miſſionis Sinicæ Fundator, (a) *Nullam, inquit, Sinæ in ſuis Majoribus partem Numinis agnoſcunt; neque ab eis quidquam, aut petunt, aut ſperant*. De Confucio poſteà. Nullas porrò ei preces recitant, nec ab eo quicquam petunt, aut ſperant, ad eum modum, quo de vita functis jam eſt explicatum.

Id P. Brancatus 34. annorum Miſſionarius.(b) Confucium inquit, *nullatenùs Sinæ colunt tanquàm Deum, neq; tanquàm Numē aliquod divinitatem participans, neque tanquàm ſanctum aliquem ſupernaturali gratiâ præditum & ornatum, ut infrà clariſſimè patebit.*

Quintò. Idem affirmant plures quàm 80. Miſſionarii è Societate, quorum alii 20. alii 30. 40. alii, & alii ferè 50. annos vixerunt in China. Idem affirmabunt tre-

(a) In ſuis Commentariis à Trigautio editis anno 1615. pag. 107. 108. libro 10. cap. 10.

(b) In Apologia pag. 26. 27.

trecenta, & ampliùs Chriſtianorum millia, qui ſolitas Confucio reverentia adhibent pro more patriæ ad accipiendos gradus: quod præſtare nefas ducerent, ſi Idolum eſſet Confucius.

Sextò. Conſtat ex libris claſſicis Confucium neque inter Spiritus, quos Litteratorum Secta agnoſcit, neque inter Bonziorum Idola à Sinenſibus referri.

Patet primùm. Ex libro, quod dicitur examen rituum; cùm agit de portis cancellatis, quæ in quibuſdam Confucii aulis indebitè ponebantur, ſic habet: *Adhibere autem in Confucii aula opus cancellatum, eſt tractare Confucium, ac ſi eſſet Spiritus, illumque cum Cœli, & terræ Spiritibus comparare: hoc verè ab Imperatoribus præſcriptâ formâ valdè procul diſtat.*

Patet ſecundum ex Imperatoris Decreto, quod anno Domini 1438. promulgatum eſt his verbis. *Imperator prohibet munera offerri Con-*

fucio in Fanis Idolorum, quæ Foè, & Lao Tam vocantur. Confucius ergo, atque potiori jure alii Sinarum Sapientes, Progenitoreſque mortui, nec inter Spiritus coluntur à Sinis, nec inter Idola. Unde ſic loquitur Gabianus antiquus Miſſionarius. *Si quis in Sinis nomine Numinis, aut Idoli Confucium, vel tantùm interrogando appellat, non ſolùm irrideri, ſed cum ſtomacho explodi ſolet apud Litteratos, de quibus agimus, prout quotidiana experientia nos docet: quidquid apud ignarum, & rude vulgus quandoque eveniat.* cap. 4.

Septimò. Reverendiſſimus Dom. Maigrot, qui vult Confucium eſſe Litteratorum Idolum, manifeſtè ſibi contradicit; (c) cùm velit Litteratos omnes eſſe *Atheos*: Athei autem Idola non habent: in hoc diſtinguuntur ab Idololatris.

His omnibus certò conſtat Confucium non haberi à Sinis Numen, non haberi Progenitores Numina. Id

(c) *Hiſt. cult. Sin. pag.* 354.

Id verò ſic conſtat, ut convictus tandem ſuper hoc tam gravis momenti capite Dominus Charmot, in ſuis Libelli diſpunctionibus non modò id fateatur, ſed non parùm excandeſcat, quòd Author Libelli ſupplicis ad Papam affinxerit tam ipſi, quàm Domino Maigrot hunc riduculum errorem; quaſi nimirùm crederent, & ſpargerent coli Confucium in China ut Numen, Progenitoreſque ut Numina. Audiamus Dominum Charmot in hiſt. cult. Sinenſ. pag. 296. *Res falſas, & abſurdas*, inquit, *mihi*, *ac Reverendiſſimo Domino Maigrot affingunt Patres Societatis, ut nobis inſultent, & tanquàm proprio conſcientiæ judicio condemnatos traducant. Nunquàm diximus Confucium à Sinis Litteratis ut Deum, Majoreſque ut Numina coli.*

Qui legerit textum anteà citatum, clarè intelliget, (*d*) dixiſſe Dominum Charmot in terminis, Confucium coli in China ut Numen,

(d) *Ibidem pag.* 403.

men, & toties id de Confucio atque Majoribus affirmaſſe, quoties veris eos coli affirmavit ſacrificiis: ac proindè nihil ei falſum affinxiſſe Authorem Libelli.

Sed eſto; ſibi ipſe contradixerit Dominus Charmot: iſtud eſt illorum fatum, qui falſa tuentur, niſi ſibi ipſi continuò attendant.

Nunc temporis hoc pluſquàm ſatis eſt: falſum eſt, abſurdum eſt ex Domino Charmot affirmare Confucium à Sinis Litteratis ut Deum, Majoreſque ut Numina coli. In hoc jam convenit cum Jeſuitis Sinenſibus, in quo etſi non conveniret, id aliàs eſt abundè demonſtratum.

Sed quid inde concludunt Jeſuitæ? Quod eſt in tam gravi cauſa deciſivum, nempè Confucium, & Progenitores non coli in China nec veris Sacrificiis, nec in veris Templis, nec in Altaribus propriè dictis. (e) *Qui enim ſacrificandum cenſuit*, ut cum Auguſtino Apo-
lo-

(e) Apolog. Dominic. pag. 38.

logiſta Dominicanus ajebat, *niſi ei quem Deum ſcivit, aut putavit, aut finxit?* Atqui Sinæ, etiam fatente Domino Charmot, neque ſciunt, neque putant, neque fingunt Confucium eſſe Deum. Majores eſſe Numina; ergo iis non ſacrificant; ergo ritus, quos adhibent pro more Patriæ ad eos colendos, neque poſſunt, neque debent dici ſacrificia utique propriè dicta; ergo nec eorum aulæ Templa, neque menſæ Altaria; ergo prædicti ritus non ſunt idololatrici; ergo falſa ſunt, abſurda ſunt, quæ per totam Europam ſpargunt, quæ ſcribuntur ad Apoſtolicam Sedem de Idololatria Chriſtianorum Sinenſium; ergo malè Reverendiſſimus ſub falſo Idololatriæ prætextu Alexandri VII. Decretum de ritibus Sinenſium reformavit.

Sed inſtat Dominus Charmot: (f) Ritus, quibus Chriſtiani colunt

(*f*) *Hiſt. cult. Sin. pag.*298. *& alibi paſſim.*

ſunt B. Virginem, Angelos, aut Sanctos, etſi illos non venerentur ut Deos, non deſinunt eſſe Religioſi; ergo licet Confucius, & Majores non ſint apud Sinas Idola, inde concludi non debet ritus, & cæremonias ad eos colendos adhiberi in China ſolitas, non eſſe religioſas: ſi verò religioſæ ſunt, erunt ſaltem ſuperſtitioſæ; ergo prohibendæ.

Reſpondeo primò. Nos probaſſe efficaciter ritus illos non eſſe idololatricos, cùm jam conſtet non eſſe Idola Confucium, & Progenitores; ac proindè non potuiſſe ſine calumnia Sinas Chriſtianos per totam Europam traduci, ut Idololatras.

Reſpondeo ſecundò. Cæremonias Sinenſes non eſſe religioſas, ideòque nec ſuperſtitioſas, ſaltem quoàd ſubſtantiam; nam ſi per accidens ritibus ex ſe politicis ſuperſtitioſa quædam immiſcentur, hæc omittunt Chriſtiani juxtà Alexandri VII. Decretum: imò cùm opus eſt, pa-

làm contrà proteſtantur ; unde nullius ſuperſtitionis ſunt rei.

Reſpondeo tertiò. Beatam Virginem, Angelos, & Sanctos piè coli à Chriſtianis ob gratiam ſanctificantem, aliaſque dotes ſuprà naturam illis à Deo conceſſas : unde cultus ille religioſus eſt. Sed cùm Sinæ nihil ſuprà naturam, & hominem in Confucio agnoſcant, nec in Majoribus, illumque colant ſolùm ob doctrinam, hos ob vitam ab illis acceptam, cultus ille non eſt niſi politicus, & civilis ; non pertinet ergo ad Religionem, ideòque ſuperſtitioſus non eſt.

Reſpondeo quartò. Adeò non coli Confucium, & Progenitores à Sinis ob propriè dictam ſanctitatem, quam non agnoſcunt, ut licèt virtutes illorum morales poſſint eſſe cultûs civilis objectum, ad has præcipuè in illis colendis non attendant : probos enim, & improbos venerantur iiſdem ritibus, quos inſtituerunt Philoſophi

& Im-

& Imperatores ad bonum publicum præſcripſerunt. Imò ſapientiam, ſeu doctrinam colunt in Confucio magis, quàm probitatem; ut infrà ſuo loco probabitur; neque negant inter ſuos Sapientes, quos nimirùm venerantur, aliquos fuiſſe valde improbos.

Reſpondeo quintò. In iſtiuſmodi oblationibus nihil juxtà leges, & libros claſſicos, vel à Confucio, vel à Majoribus neque peti, neque ſperari; unde patet nihil in illis ſuprà naturam Sinas agnoſcere.

Id demonſtrant textus qui ſequuntur ex libro *Li xi*, de oblationibus, quæ fiunt primo Spiritui, ſeu *Xãm-tĩ*, vel reliquis Tutelaribus: ſic habet. *In oblationibus illis imploratur auxilium, referuntur gratiæ, deprecantur calamitates.*

De oblationibus verò mortuorum ſic loquitur. *In oblationibus quæ fiunt pro defunctis, nihil ab illis rogatur.*

Item. *Finis illarum oblationum*

eſt

eſt continuare amorem ergà Parentes, & Benefactores; procurantes hiſce oblationibus ſupplere defectus commiſſos in ſuſtentatione, & obedientia ergà defunctos ſuos. Nihil eſt in iſto fine niſi politicum, & humanum.

Rursùm. Nihil ab illis petitur, *ſed nec eſt voluntas felicitatem aliquam petendi*. Sunt plurimi hujuſmodi textus. Illos autem eſſe genuinos ne Adverſarii quidem negant. Id unum reponit Dominus Charmot, (g) *de prima rituum inſtitutione hos eſſe intelligendos*: ſed perſeveraſſe hactenùs hunc uſum nihil nec à Confucio, nec à Majoribus poſtulandi, ſatis probant quæ narrat Riccius, quæ Martinius, quæ Brancatus, Intorcetta, Faber, imò quæ Reverendiſſimus à Leoniſſa reſpondit de precibus nonnullis, quæ privatâ ſolùm, non publicâ authoritate in aliquos libros irrepſerunt.

Unde Pater Matthæus Riccius an-

(g) Hiſt. cult. Sinenſis pag. 220.

ante centum annos jam ſic loquebatur. *Et quoniam in Majoribus nullam Numinis partem agnoſcunt, nec ab iis quidquam aut petunt, aut ſperant, id videtur ab omni ſacrilegi cultûs ſcelere alienum.* Item de Confucio. *Nullas porrò ei preces recitant, nec ab eo quidquam petunt, aut ſperant.*

Reſpondeo ſextò. Manifeſtè hinc patere nihil ſuprà hominem, ſuprà naturam à Sinis agnoſci nec in Confucio, nec in Majoribus, juxtà communem Litteratorum perſuaſionem, ac fidem. Nam quòd privati aliqui ex errore, vel ex malitia aliter ſentiant, & agant, ſua illis ſuperſtitio imputetur: at nocere non poteſt aliis. neque inficere ritus alioqui innocentes, atque Imperii legibus conſtitutos: ſicut cultum ſacrarum apud nos Imaginum non inficit error, & ſuperſtitio Chriſtianorum rudium, qui aliter ſanè eas venerantur, quàm præſcribat Concilium Tridentinum: & utinam pauciores eſſent

ſent hujuſmodi rudes Chriſtiani.

Reſpondeo ſeptimò. Nihil obſtare, quòd dicantur reperiri in quibuſdam Ritualibus Orationes, quas Sinæ recitent ad defunctos. Certum eſt enim, vel Ritualia illa reſpectu Litteratorum eſſe, quaſi apud nos (*h*) Hæreticorum libros, qui nullam fidem faciunt; vel, ut Reverendiſſimus à Leoniſſa fatetur, inſertas illis fuiſſe iſtas preces a privatis, abſque authoritate publica. Unde privatus eſt aliquorum error, & ſuperſtitio non communis. Standum ergo libris claſſicis, & quidem genuinis, qui manibus omnium teruntur, ubi iſta ſunt prohibita.

Dixi genuinis, hoc eſt emendatis, & juridicè recognitis. Nam (*i*) *affirmant Docti inter Sinas Interpretes irrepſiſſe quædam etiam in libros claſſicos aliquorum malitiâ, quæ aliena ſunt, & apocrypha. Propterèa*, inquit Pater Phi-

(h) *In ſuis reſponſis.* (*i*) In ſuo præludio cap. 2. art. 2. pag. 14.

lippuccius, *litteraria Sinenſium Reſpublica multos habet, & graves Cenſores, qui libros claſſicos, & cæteros eruditè, & acutè examinant, & genuina loca à ſuppoſititiis diſcernunt: ideòque in citandis Sinicis textibus magnâ uti cautelâ neceſſe eſt, ne graviter erremus*. *De hac materia*, ſic pergit, *copioſus tractatus jam confectus eſt, & ſuo loco divulgabitur*. Tria addo. Primùm. Ab adverſariis vocari preces, quæ ſunt vel orationes ſolùm panegyricæ, vel vota filiorum, aut diſcipulorum, qui optare ſe ſignificant, ut, ſi fieri poſſet, Magiſtri adeſſent, vel Parentes. Secundùm. Perſuaſum eſſe Sinis, Imperii, & familiarum felicitatem pendere ab obedientia, quam Imperatori præſtant ſubditi, Parentibus filii, diſcipuli Magiſtris, uxores Maritis, &c. Obedientiam autem illam ergo vivos conſervant in Imperio, & in familiis ſtudium illud, & conſuetudo mortuis obſequendi adhuc, quaſi eſ-

ſent

ſent ſuperſtites. Unde felicitas illa, quæ dicitur illis ſponderi poſt juſta Parentibus ſuis perſoluta, illis promittitur tanquàm ſuæ obedientiæ effectus, non autem ex merito defunctorum. Tertiùm. Denique ſuperſtitionis erit nihil, ſi ob exhibitum ſuis Parentibus grati animi obſequium, uti & ob eleemoſynam egenti porrectam, ſperent à *Xām-tī*, ſeu à Deo Optimo, Maximo, cui iſta placere non dubitant, præmium aliquod temporale.

Reſpondeo octavò. Reverendiſſimum Dominum Maigrot, ſi fingat Litteratos à Confucio, vel à Majoribus ſperare aliquid, vel petere, ſibi ipſi contradicere; cùm repetat continuò Litteratos omnes eſſe Atheos, tam antiquos, quàm modernos. Qui enim negant Deum exiſtere, animas non credunt immortales, ideòque nec petere ab illis quidquam poſſunt, nec ſperare, niſi inſaniant: ac proindè nec ut Sanctos, nec ut Deos Sinæ co-

lunt Confucium, aut Majores in hac Reverendiſſimi ſententia.

Reſpondeo nonò: Patrem Joannem de Paz Dominicanum, ut patet ex antedictis, non ſolùm aſfirmare tanquàm certum, quòd in China nulla Confucio tribuatur divinitas, ſed etiam quòd non credatur poteſtatem habere humanâ ſuperiorem. (K) *Hæc ratio*, inquit, *oſtendit quòd nec communi acceptione, nec lege Regni detur Confucio cultus religioſus, neque divinitas, neque poteſtas aliqua ei attribuatur. Forſan aliquis noſtrum Deum exiſtimat Confucium, aut in eo poteſtatem hominibus auxiliandi fatetur?* Sic in riſum effuſi Sinæ proteſtanti Chriſtiano reſponderunt.

Reſpondeo decimò. Patrem Semedo antiquum Miſſionarium ſic loqui de cæremoniis ſolemnioribus, quibus Sinæ ſuos colunt Progenitores. (l) *Iſtæ*, inquit, *oblationes*, *ſeu*

(K) Folio 199. (l) Part. 1. c. 19. pag. 121.

ſeu cæremoniæ non ſunt propriè dicta Sacrificia, quæ offerunt Sinæ ſuis Majoribus ; illos enim nec ut Deos habent, nec ut Sanctos. Sunt itaque ſolùm demonſtrationes gratitudinis, & reverentiæ, quas debere ſe putant iis, à quibus vitam accepere. Nota illas voces, *Illos nec ut Deos habent, nec ut Sanctos* ; excludunt enim Idololatriam, atque ſuperſtitionem.

Reſpondeo undecimò. Reverendiſſimum à Leoniſſa, quem pro ſe Romæ pugnantem jactant Jeſuitarum Adverſarii, ſic tamen eſſe locutum de communi Sinarum fide circà Confucium Philoſophum, in ſuis ad Eminentiſſimum Cardinalem Caſanate reſponſis, ut quæ in quæſtione præliminari probantur, ſuo calculo validiſſimè confirmet.

Poſtquàm enim hic affirmavit aliam eſſe Litteratorum Sectam in China, aliam Idololatrarum, duo addit. Primùm. Atheos (vult autem Dominus Maigrot Litteratos omnes eſſe Atheos) non agnoſcere

veram Sanctitatem, hominemque, dum moritur, totum juxtà illos prorsùs interire; ac proindè etſi in Confucio agnoſcant, dum viveret, quaſi exemplar virtutum omnium (utique moralium) nihil tale de illo mortuo jam credere.

Non riſconoſcono Santità, perche ſieguono la dottrina Ateiſta, e penſano che morendo l' huomo tutto finiſce. Riconoſcono queſti in Confucio un aggregato di tutte le virtù per il tempo che viſſe, e non più.

Hîc nota, Litteratos, de quibus ſolùm in præſenti cauſa agitur, non modò nihil Numinis in Confucio colere juxtà Reverendiſſimum à Leoniſſa, ſed ne veram quidem Sanctitatem, quàm nimirùm ex eodem Reverendiſſimo non agnoſcunt. Imò qui ſunt inter Litteratos Athei, ſi Reverendiſſimo credimus, colunt ſolùm eas virtutes, quas olim habebat, dum viveret; rati nihil nùnc temporis ſupereſſe de Confucio. Quàm ſint iſta contra-

traria iis, quæ Dominus Maigrot, & Dominus Charmot continuò, & ad nauſeam repetunt de fide Litterarorum circà Confucium Philoſophum, nemo eſt qui non videat, ſi eorum ſcripta legerit, nemo qui videndo non indignetur.

Hoc ſecundo loco dicit Reverendiſſimus à Leoniſſa, *privatos aliquos inter Idololatras, Confucium quaſi Idolum colere*, non palàm quidem, nec ubique, ſed clàm ſolùm; & alicubi, ſine authoritate publica, & contrà communem Imperii fidem: & ne hoc quidem affirmat tanquàm certum, ſed ſolùm dicit hoc ſibi videri. *Mi pare che i Gentili veramente Idolatri riguardano Confucio come un di loro Dei, benche in publico, e con autorità publica non ſia frà quelli numerato, mà ſolo con privata autorità da queſto, o da quello in queſto, ò in quel luogo con autorità privata....è contra il commune dell'Imperio per averlo impedito la Setta Litteraria.*

Conſtat igitur illo Reverendiſſimi teſtimonio, quod unum in quæſtione præliminari volumus, nempè juxtà communem Imperii fidem, maximèque Litteratorum, nec ut Deum, nec ut Sanctum utique verâ Sanctitate coli Confucium in China, multò minus Progenitores mortuos, tot gradibus ipſi Confucio inferiores.

Nam quòd privati aliqui ex errore vel malitia aliter ſentiant, vel agant, hoc nihil omninò juvat Jeſuitarum Adverſarios, ut jam ante probatum eſt, & clariùs infrà videbitur.

Reſpondeo duodecimò. Enumerari ſingulos ritus erga Confucium, & Progenitores in tractatu ſpeciali, explicarique accuratiſſimè ab antiquis, ac Sinicè doctiſſimis Miſſionariis: unde conſtat adhuc magis hujuſmodi ritus non modò non eſſe idololatricos, ſed ne ſuperſtitioſos quidem, ſaltem quoàd ſubſtantiam; quod unum Roma poſtulat, ut permitti poſſunt qui ſunt in-

innocentes, ſuperſtitioſis omnibus ſublatis, juxtà Alexandri VII. Decretum.

CONCLUSIO SECUNDA.

In adhibendis erga Confucium, & Progenitores Ritibus Alexādri VII. Decreto permiſſis nullum eſt reſpectu Chriſtianorum nec proximum, nec remotum periculum ſive Idololatriæ, ſive ſuperſtitionis, nec materialis quidem.

SIC autem illud efficitur. Conſtat primò. Per ſe licitum eſſe cultu civili juxtà conſuetos locorum ritus colere Parentes mortuos, & Imperii Magiſtrum.

Secundò. Certò conſtat ritus illos, qui per ſe mihi liciti ſunt, non poſſe fieri mihi illicitos, & idololatricos, niſi vel ex mea, vel ex aliorum intentione perverſa, & idololatrica; quâ vel ego, vel alii intendamus aliquid v. g. Numinis, aut ſuprà naturam in Confucio

colere, vel in Parentibus.

Tertiò. Certò conſtat Chriſtianos Sinas nihil agnoſcere Numinis, aut ſuprà naturam nec in Confucio, nec in Majoribus ſuis; ergo ritus illi per ſe Chriſtianis liciti, jam non fiunt ex perverſa illorum intentione idololatrici.

Quartò. Certò conſtat ritus eoſdem per ſe licitos, non poſſe fieri reſpectu Chriſtianorum idololatricos ex occulta tantùm, & interna Sinarum Idololatria; hæc enim, eo ipſo quòd interna ſolùm eſt, nocere non poteſt, niſi ipſis Idololatris; nec mutare exteriùs ſtatum Confucii, & Progenitorum, nec phyſicè, nec moraliter.

Quintò. Certò conſtat per externam etiam, at paucorum Idololatriam, ſive ſuperſtitionem, non poſſe aliquem palàm conſtitui reſpectu omnium in ratione Idoli, nec proindè vitiari, & infici licitos per ſe mihi ritus erga Confucium v. g. & Progenitores.

Inventi ſunt qui colerent B. Virgi-

ginem tanquàm Numen ; non potuit hæc illorum malitia, vel ignorantia vitiare cultum per ſe legitimum, quo Fideles Beatam Virginem venerantur.

Eſt indubitatum, reperiri aliquandò Catholicos rudes, qui aliter quàm præſcribat Concilium Tridentinum ſacras Imagines colunt: quis illorum ſuperſtitione putet verum infici cultum Imaginum? pari modo etſi inter Sinas invenirentur nonnulli qui in Confucio, vel in Majoribus ex ignorantia, vel ex malitia divinum aliquid colerent, quandiù conſtabit, ut certò conſtat ex præliminari quæſtione, nullam in China tribui Confucio Numinis partem, juxtà communem Sinenſium fidem, maximèque Litteratorum; tandiù poterunt Sinæ Chriſtiani cultu civili, & politico honorare Confucium, ut Imperii Magiſtrum, ſine ullo periculo, vel remoto Idololatriæ, ne materialis quidem. Quod dicitur de Confucio, potiori jure

dici

dici debet de Majoribus; quorum nullus eſt juxtà Sinas huic Philoſopho conferendus.

Sextò. Ut fierent ergo mihi illiciti ritus illi, deberet quaſi publicâ authoritate conſtare, Sinas aliquid Numinis communiter jam agnoſcere in Confucio, & in Majoribus ſuis, vel poteſtatem humanâ majorem. Quandiù igitur id non conſtat, tandiù poſſum uti jure meo: tandiù reſpectu mei ritus illi remanent civiles, ac politici, ideòque per ſe liciti, ac proindè neque formaliter, neque materialiter idololatrici.

Jam verò manifeſtum eſt non conſtare, quòd in vaſto illo Imperio juxtà communem Sinarum fidem, ac perſuaſionem Numen habeatur Confucius, multòque minùs Progenitores mortui. Imò contrarium tam certò conſtat, ut Dominus Charmot graviſſimè conqueratur, ſe, ſuumque Reverendiſſimum falsò accuſatos eſſe, quaſi illud ipſum affirmaſſent. *Nuſquam*

di-

diximus, inquit, (m) *Confucium coli in China ut Deum, Majores coli ut Numina.*

Certò igitur conſtat, quòd juxtò communem Sinarum fidem, neque Confucius, neque Majores mortui aliquid Numinis habere credantur: ergo non eſt ſolum probabile, ſed certum, ritus, quibus in China coluntur, neque formaliter, neque materialiter eſſe idololatricos: ergo Sinæ Chriſtiani poſſunt illos adhibere ſine ullo periculo vel proximo, vel remoto Idololatriæ, ne materialis quidem. Addo neque ſuperſtitionis; cum non minùs conſtet Sinas in colendis ſive ſuis Philoſophis, ſive ſuis Majoribus attendere ſolùm ad doctrinam, quam ab illis, vel ad vitam, quam ab iſtis acceperunt, ſive fuerint probi, ſive improbi, ut dictum eſt. Multò minùs illos colunt ob gratiam ſanctificantem, aliaſque dotes ſuprà naturam à Deo illis conceſſas,

Ergo

(m) Hiſt. cult. Sin. pag. 296.

Ergo conſtat ſententiam de ritibus Sinenſium politicis, ac permiſſis juxtà Alexandri VII. Decretum, Chriſtianos Sinas nulli exponere periculo ſive ſuperſtitionis, ſive Idololatriæ, non modò formalis, ſed neque materialis.

Ergo conſtat ſententiam illam eſſe tutam formaliter ſimul, atque materialiter.

CONCLUSIO TERTIA.

In Prohibendis erga Confucium, & Progenitores Ritibus Alexandri VII. Decreto permiſſis eſt grave, & proximum periculum peccandi contrà charitatem Dei, & proximi, & contrà Legem prædicandi Gentibus Evangelii.

SUppono primò. Prohiberi non poſſe in China ritus erga Confucium, & Progenitores, quin claudatur janua ſalutis & fidei innumeris planè hominibus. Hoc ſemper viſum eſt certum Evange-

lii Miniſtris, etiam iis qui prohibendos putabant, quia ſibi falsò perſuaſerant hos eſſe religioſos. Hoc tam ſæpè Sinæ Chriſtiani inculcarunt proteſtantes ſe in die Judicii contrà crudelem, imprudentemque eorum zelum inſurrecturos, qui propter tam levem cauſam, tamque nullam, innumeros Sinas ab amplectanda fide removerent, arcerentque à Baptiſmo. Id agnoverunt in conventu Cantonienſi 23. Chriſti Confeſſores, aperteque declararunt. Jd jam inde ab initio ſenſerat P. Matthæus Riccius, dum tam clarè exponeret, quantùm his ritibus Sinæ Litterati, ab ipſo Imperatore ad infimum quemque, adhærent. Id hactenùs experti ſunt Miſſionarii omnes.

Suppono ſecundò. Eccleſiam; Sanctam Sedem, ipſos, quos ad Infideles mittit, Evangelii Miniſtros, præcepto teneri non ſolùm annunciandi Gentibus Evangelii, ſed ità annunciandi, ut quantùm ex ſe eſt, nullum propagandæ fidei

obicem immeritò ponant. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. (o) Hoc Chriſti præceptum non ligavit ſolos Apoſtolos, ſed Apoſtolorum quoque Succeſſores, imprimiſque Succeſſores Petri, quibus Univerſæ Eccleſiæ cura commiſſa eſt; quique proptereà jam inde ab initio fundatæ à Chriſto ſuper Petram Eccleſiæ ſolliciti ſemper fuerunt, non modò ad revocandas in ovile oves aberrantes, ſed etiam ad aperiendam Gentibus ovilis januam, miſſis quocunque; & in omnem terram, & in fines orbis terræ divinæ Legis Præconibus, qui fidei ac ſalutis Evangelium annunciarent. (p) *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Quomodò ergo credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur?*

Itaque gravis peccati contrà ma-

(o) Marc. 16. (p) *Rom.* 10.

manifeſtum illud Chriſti præceptum reos illos eſſe neceſſe eſt, non modò qui, cùm teneantur hoc præcepto, obſervare illud negligunt, abjectâ prædicandi Gentibus Evangelii omni curâ, ſed etiam qui à Sancta Sede ad hoc miſſi, ex vanis ſcrupulis, & malè fundatis erroribus propagationi ſanctæ Legis magnos interjiciunt obices.

Prætereà Lex charitatis erga Deum, & proximum eos graviſſimè ligat, qui in Chinâ, vel in aliis hujuſmodi regionibus degunt, Evangelii Miniſtros, ad procurandam Infidelium, apud quos vivunt, quantum in ipſis eſt, ſalutem, cujus fundamentum eſt fides. Unde in conſcientia graviſſimè tenentur removere obſtacula, illorum infirmitati condeſcendere, in hoc imitari Apoſtolos, ſanctos Patres, Summos Pontifices, neceſſaria ſolùm ab illis exigere, non perfecta, quæ modò portare non poſſunt.

Suppono tertiò. Ut abundè ſuprà probatum, nullum eſſe in ſen-

tentia de ritibus politicis tam ſolidè fundata periculum Idololatriæ, ſive ſuperſtitionis, ne materialis quidem reſpectu Chriſtianorum, qui tanquam regulam ſequuntur Alexandri VII. Decretum.

His poſitis, manifeſtè patet eos, qui contrà ſentiunt, clauduntque januam fidei Sinis innumeris ex vano ſuperſtitionis, atque Idololatriæ metu, ſubire evidens periculum violandæ Legis charitatis tam erga Deum, quàm erga proximum in re graviſſima, ubi de irreparabili ſalutis æternæ tot hominum jactura agitur; nec non tranſgrediendi ipſius Chriſti præceptum de Evangelio omni creaturæ prædicando.

An verò excuſari poſſint de Legibus iſtis violatis, qui ſic agunt per ignorantiam invincibilem, ſive per aliquam probabilitatem, erit Summi omnium in terra Judicis, ac Patris poſt omnia benè ponderata, judicare, ac definire; cum tam levis ſit iſtiuſmodi oppoſita pro-

probabilitas, tam facilè vinci poſſit hæc ignorantia.

CONCLUSIO QUARTA.

Prudens, æquum, ac religioſum fuit Alexandri VII. Decretum de Ritibus erga Confucium, & Majores tam permittendis, quàm omittendis.

QUANTA fuerit Sacræ Congregationis in conſtituendo hoc Decreto, quanta Alexandri VII. Papæ in eodem approbando, & confirmando prudentia, æquitas, Religio, charitas, manifeſtè probant quæ ſequuntur, & fuerunt anteà fuſiùs explicata.

Primò. Decretum illud conſtitutum eſt utrâque parte auditâ: cùm obtinuit Decretum anni 1645. P. Joannes Baptiſta de Morales Dominicanus, ipſe ſolus auditus fuerat: declarandum id judicavit ipſa Sacra Congregatio anno 1656. *Miſſionarios Sinenſes è Societate non*

fuiſſe tunc auditos, hoc eſt, tempore prioris Decreti. Unde procul dubio factum eſt, ut viſum fuerit proviſionale ſolùm Decretum illud, multa interim præſcibens, donec Sancta Sedes, ut ibi legitur, aliter ſtatuiſſet: at verò Decreto poſteriori tale nihil additum eſt, cùm non fuerit conditum, niſi poſt utramque pertem auditam; nempè P. Joannem Baptiſtam de Morales Dominicanum, & P. Martinum Martinium è Societate.

Secundò. Decretum anni 1656. ſive Alexandri VII. non modò præceſſit accurata, & legitima informatio; ſed hanc præceſſiſſe, notum eſſe voluit ſuis Succeſſoribus Alexander Papa, dum inſeri juſſit huic Decreto quæcumque Pater Joannes de Morales contrà ritus illos ante propoſuerat, ut manifeſtum eſſet poſteris ignorata ſibi hæc non fujſſe, ſed diligenter excuſſa, benè examinatis iis omnibus, quæ Martinius Jeſuitas contrà opponeret.

Tertiò

Tertiò. Tunc in ipſa informatione plenè Alexandro VII. uti & Sacræ Congregationi perſuaſum eſt, non coli in China juxtà communem Gentis illius perſuaſionem, ac fidem Confucium Philoſophum, ut Deum; non coli Progenitores, ut Numina. Hoc ſolidè, & clarè probavit Martinius: quod ipſe Dominus Charmol tam certò conſtare jam putat, ut de illata ſibi, ac Reverendiſſimot ſuo calumnia conquerens, exclamat; *Nuſquàm diximus Confucium coli in China ut Deum; Progenitores coli ut Numina.*

Quartò. Non minùs ſolidè coram Alexandro Papa probatum eſt, neque Confucium, neque Majores coli à Sinis ut Sanctos, ſanctitate utique propriè dictâ, quam ignorant: ſed illum ut Imperii Magiſtrum, à quo doctrinam, illos ut Parentes, à quibus vitam accceperunt; non inquirentes an hi fuerint probi, vel improbi.

Quintò, Hinc idem Pontifex

clarè intellexit, ritus illos, qui in China ex Philoſophorum inſtitutis adhiberi ſolent ad colendos illos, non modò non eſſe idololatricos, ſed ne ſuperſtitioſos quidem quoàd ſubſtantiam, propter rationes ſuprà expoſitas: cùmque P. Martinius bona fide expoſuiſſet decurſu temporis ſuperſtitioſa quædam acceſſiſſe ad cæremonias alioqui innocentes, ad hæc ſeriò Pontifex attendit; ſeriò attendêre Eminentiſſimi Cardinales.

Sextò. Expenderunt quantùm Eccleſiæ Catholicæ, & præſertim Sanctæ Sedi eſſet à Chriſto Domino onus impoſitum prædicandi Gentibus Evangelii; adeoque, quoàd fieri poteſt, ſalvis conſcientiæ legibus, removendi ea omnia, quæ obſunt fidei ſive inter Gentes inducendæ, ſive dilatandæ: Expenderunt, ad hoc ſe quoque teneri ex præcepto charitatis erga Deum, & proximum ob irreparabilem ſalutis æternæ jacturam.

Septimò. Adverterunt prætereà quan-

quantùm nocere poſſit propagandæ fidei indiſcretus, & imprudens zelus, poſſeque peccari graviſſimè ab iis, qui hujuſmodi fervore abrepti perſecutioni Fidelium dant occaſionem, vel à fide Gentes removent: ex eo quod in iis tolerare nolint, quæ juxtà ſuave Evangelii jugum tolerari verè, ac Chriſtianè poſſunt: quod ne fiat in detrimentum fidei jam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ graviter cautum eſt. Norunt iſta, qui examinant, quas adhibuerint cautiones, quâ uſi ſint ergà Gentes, vel Judæos indulgentia primi Eccleſiæ Fundatores in variis Orbis Provinciis: quid egerit Gregorius, cognomento Thaumaturgus: quid præſcripſerit Gregorius Magnus, Anglorum dictus Apoſtolus: quid hac de re docuerit Ambroſius: quid perſuaſerit Auguſtinus: quid ſuadentibus Jacobo, & Seniorioribus Paulus ipſe Doctor Gentium Hieroſolymis in gratiam Judæorum præſtiterit.

Quin etiam videbat Sapientiſſimus Pontifex non aliam ob cauſam præſcriptum fuiſſe ab Innocentio X. ne inquietarentur Sinæ, ſi quid in mutuo ſuprà ſortem acciperent, non quidem ratione mutui præcisè, ſed ratione periculi probabiliter imminentis.

Octavò. Intellexit idem Pontifex non poſſe prohiberi ritus illos, de quibus agitur, erga Confucium, & Progenitores, quin claudatur innumeris Sinis janua ſalutis, & fidei: ideòque graviſſimam eſſe hanc cauſam, quam examinaret; cùm aliundè non ſint facienda mala, ut eveniant bona.

His diù multumque coram Deo ponderatis, prudentiſſimum Decretum condidit, quo declaratum eſt, *poſſe tolerari Sinas converſos adhibere cæremonias* (fusè ibi explicatas) *erga ſuos defunctos, etiam cum Gentilibus, ſublatis tamen ſuperſtitioſis. Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus. quando*

agunt ſuperſtitioſa, præſertim facta fidei proteſtatione; & ceſſante periculo ſubverſionis, & quando aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſſint.

In hoc Decreto Sapientiſſimus Pontifex charitati ſimul prudenter conſuluit, & Religioni. Charitati quidem erga Deum, & proximum, cùm apertam relinquat Evangelii januam & ſalutis innumeris Sinis, qui ſunt ab eo tempore ad Dei gloriam fidem noſtram amplexati: Religioni verò, non modò dum præſcribit omittenda eſſe à Chriſtianis ſuperſtitioſa, quæ decurſu temporis ritibus alioqui politicis acceſſerunt: non modò dum jubet Chriſtianos contrà proteſtari, facta fidei profeſſione, cùm juſtas ob cauſas aſſiſtentes his cæremoniis vident Paganos ſuperſtitioſa agere; ſed etiam cum permittit adhiberi à Fidelibus erga Confucium, & Progenitores ritus politicos, quos inſtituerunt Philoſophi, & uſurpant etiamnùm ad finem

Quin etiam videbat Sapientiſſimus Pontifex non aliam ob cauſam præſcriptum fuiſſe ab Innocentio X. ne inquietarentur Sinæ, ſi quid in mutuo ſuprà ſortem acciperent, non quidem ratione mutui præcisè, ſed ratione periculi probabiliter imminentis.

Octavò. Intellexit idem Pontifex non poſſe prohiberi ritus illos, de quibus agitur, erga Confucium, & Progenitores, quin claudatur innumeris Sinis janua ſalutis, & fidei: ideòque graviſſimam eſſe hanc cauſam, quam examinaret; cùm aliundè non ſint facienda mala, ut eveniant bona.

His diù multumque coram Deo ponderatis, prudentiſſimum Decretum condidit, quo declaratum eſt, *poſſe tolerari Sinas converſos adhibere cæremonias* (fusè ibi explicatas) *erga ſuos defunctos, etiam cum Gentilibus, ſublatis tamen ſuperſtitioſis. Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus. quando*

agunt

agunt ſuperſtitioſa , præſertim facta fidei proteſtatione ; & ceſſante periculo ſubverſionis , & quando aliter odia , & inimicitiæ vitari non poſſint.

In hoc Decreto Sapientiſſimus Pontifex charitati ſimul prudenter conſuluit, & Religioni . Charitati quidem erga Deum, & proximum, cùm apertam relinquat Evangelii januam & ſalutis innumeris Sinis, qui ſunt ab eo tempore ad Dei gloriam fidem noſtram amplexati : Religioni verò , non modò dum præſcribit omittenda eſſe à Chriſtianis ſuperſtitioſa , quæ decurſu temporis ritibus alioqui politicis acceſſerunt : non modò dum jubet Chriſtianos contrà proteſtari, facta fidei profeſſione, cùm juſtas ob cauſas aſſiſtentes his cæremoniis vident Paganos ſuperſtitioſa agere ; ſed etiam cum permittit adhiberi à Fidelibus erga Confucium, & Progenitores ritus politicos, quos inſtituerunt Philoſophi, & uſurpant etiamnùm ad finem ci-

civilem Infideles ; horum enim prohibitione cæremoniarum grandi periculo totam exponebat Chriſtianitatem.

OB-

OBSERVATIONES IN QUINTUM MANDATI CAPUT, DE TABELLIS PROGENITORUM.

JAM ſuprà vidimus conqueſtum eſſe Reverendiſſimum de Patre Martino Martinio, quòd exponens Sacræ Congregationi Sinarum morem circà defunctorum Tabellas, in quibus ſcribuntur eorum nomina, non addidit quoque in iſtiusmodi Tabellis has voces inſcribi *Xin goey*, vel *Xin chu*, vel *Lym goey*, quæ ſignificant Spiritus, aut animæ Sedem: putamuſque ſic nos reſpondiſſe Reverendiſſimo, ut conſtet parùm æquam eſſe hanc querelam.

Inter

Inter alia diximus, per Decretum anni 1645. Promiſſas fuiſſe iſtiuſmodi tabellas, modò non collocarentur in Altari propriè dicto, etſi Pater Joannes de Morales Sacræ Congregationi retuliſſet has vocari *Sedes animæ*. Addimus, has Litteras Reverendiſſimo longè minùs adhuc negotii faceſſere debuiſſe, quàm Eminentiſſimis Patribus, cùm juxtà illius ſententiam Litterati omnes ſint Athei, tam antiqui, quàm moderni: ideòque ex illo nullos agnoſcant Spiritus, ac proindè voces illæ, *Sedes animæ, ſeu Spiritus*, non poſſint à Sinis accipi in hoc cauſu juxtà ſenſum litteralem, ſed tantùm allegoricum, qui nullum erroris, neque ſuperſtitionis habet periculum.

Sed cùm Reverendiſſimus attendere non videatur ad conſequentias, nec curare multum, an quæ in uno loco affirmat cum alibi affirmatis conveniant, hic contendit inſcriptas tabellis litteras verè apud Sinas ſignificare, in iiſdem

tabellis Progenitorum Spiritus includi, ac reſidere, licèt aliundè juxtà illum negent Sinæ omnes Spiritus, ut pote Athei. Undè tabellas quidem retineri permittit, ac litteras illas deleri omninò jubet, tanquàm ſuperſtitioſas. Quo jure, quâ prudentiâ demonſtrant ſequentes obſervationes.

OBSERVATIO I.

Litteræ illæ Xin Goey, *vel* Xin Chu, *vel* Lim Goey *Tabellis inſcriptæ juxtà communem Sinarum fidem nihil ſuperſtitionis continent.*

HÆc indigent ſola expoſitione vocum, de quibus hic eſt quæſtio.

Primò. Sciendum eſt Priſcos Sinas, dum Parentalia paragerent, habuiſſe in more puerum ſubſtituere, qui indutus veſtibus (p) demortui hominis, eum hominem, ac

(p) *Apologia Brancati pag.* 146.

ac ſi vivus exiſteret, repræſentabat; hunc autem ſubſtitutum vocabant *Xi*, eique illos exhibebant honores, ac ſi parentes illius hominis, qui Patri juſta ſolvebat, præſens vivus adfuiſſet. Sic enim habet liber Liki. *Subſtitutus iſte Puer* Xi *dictum repræſentabat hominem illum, cui juſta ſolvuntur, quem hominem Sinæ conſueverunt vocare* Xin: *atque adeò illi honor exhibetur itidem, ac ſi eſſet Pater Regis* (agitur ibi de defuncto Regis Parente.)

Dictionarium autem Sinicum explicans Litteram *Xi*, ſic ait. (q) *Priſca gens, quando Parentalia agebat, utebatur figura illa, ſeu puero illo, ut eſſet loco illius hominis, cui juſta ſolvebantur.* Unde legitur in eodem Dictionario. Littera *Chu* ſignificabat loco alterius eſſe.

Liber verò officiorum LyKi ait. *Littera hæc* Xi *ſignificat repræſentare*. Commentator autem. *Figura*

(q) Ibidem 147.

ra hæc Xi *hominis , cui juſta ſolvuntur , repræſentatio eſt : quia ſubſtituitur loco illius.*

Prima igitur inſtitutio ad repræſentandum defunctum Patrem, tanquàm ſi is vivus adeſſet , conſiſtebat in hac viva figura pueri, ſive juvenis amicti veſtibus defuncti ; cui illum præſtabant honorem veteres Sinæ, ac ſi, qui mortuus erat, vivus exiſteret : Sanè nemo mortalium, niſi ipſaniret , exiſtimavit Spiritum mortui reſediſſe in illo puero.

Secundò . (r) Proceſſu temporis ritus ille figuræ *Xi* abſolvit : eiuſque loco ſucceſſit Tabella , quæ dicta eſt *Xin chu* , ut repræſentarent hominem illum, cui juſta ſolvuntur , ſive ut eſſet loco defuncti, ac ſi vivus exiſteret. Ita Dictionarium *cum guoy* . Unde Confucius ipſe . *Olim* , inquit, *in Parentalibus uſui erat figura* Xi , *ſed modò in aula Anteceſſorum uſui eſt Tabella* . Comentator verò ſic

(r) Ibidem 148.

ſic ait. *Quia Parens erat mortuus, propterea excitabatur figura* Xi. *ad repræſentandum Parentem, tanquam ſi is vivus eſſet, & quia homo amplius non aderat, vel non habebat Spiritum, atque ideò non extabat: propterea excitabatur tabella* Chu, *dicta, ad oſtendendum hominem illum, qui per mortem evanuerat, nec videbatur, tanquam ſi præſens extaret.* Scribebatur namque in illa tabella nomen, & dignitas defuncti hominis; per illam conſervabatur illius memoria.)

Ex his Confucii verbis clariſſimè patet, in illa tabella non animam, non Spiritum conſervari, ſed repræſentationem illius hominis, cui juſta ſolvuntur: & verò juxtà Dictionaria Sinico Luſitanica *Chũ y* ſignificat in corde aliquid habere, nec illius oblivиſci. *Chu iùm* recordari alicujus rei. Ideoq; quando in tabella legitur *Kin chù*, idem erit ac reminiſcentia illius mortui, cujus nomen ibi ſcriptum eſt.

eſt. Quam explicationem Litterati Sinenſes amplectuntur. Itaque tabella illa memoriam, & repræſentationem hominis defuncti juxtà communem Sinarum fidem continet, non autem animam, aut ſpiritum ejus, quod eſt perridiculum. Itaque littera *Xin* hominem mortuum ſignificat, non ſpiritum ejus.

Tertiò. In (s) multis aliis locis librorum claſſicorum clarè exprimitur per illas tabellas conſervari solùm memoriam defunctorum.

In libro *LiKi*. *Erigitur Proavorum aula in loco, ubi homines degunt, ne extinguatur apud illos ſuorum Parentum memoria.*

Item. *Conſtituitur Prædeceſſorum aula* (in qua tabellæ aſſervantur)..... *ut populi recolant antiquorum memoriam, & unde originem ducunt ſemper reminiſcantur.*

Item. *Quando quis moritur, ani-*

(s) *Ibidem.*

ma aſcendit, *corpus verò deſcendit*. Undè Commentator. *Anima petit Cęlum*, *corpus verò revertitur in terram*. Hinc ſequitur animam non remanere in tabella.

Quartò. Juxtà nullam Sectarum, quæ ſunt in Sina, anima remanet in Tabella. Quod oſtendo. Alia eſt Secta Litteratorum, qui, antiquos ſecuti, Deum unum agnoverunt: illi docent proborum animas, ut Regis *Vên vam* habere virtutis ſuæ præmia in Cœlo, improborum verò animas ſuæ impietatis pænas luere; ideòque hi ne ſomniando quidem putant animas in tabellis reſidere. Alia eſt Secta Litteratorum Atheorum: hi autem poſt mortem docent animas evaneſcere, & in auram reſolvi: ac proindè non credunt eſſe eas in tabellis. Alia eſt Secta Idololatrarum, & illi animas, quæ in Cœlo non ſunt, volunt vel detrudi in Inferos, vel tranſmigrare de uno in aliud corpus vel hominis, vel animalis, non verò in Tabellas,

las, quod eſt abſurdum.

Denique Chriſtiani omnes valdè abhorrent ab hujuſmodi figmentis, & chimeris; ſciunt enim vel in Cœlum, vel in Infernum, vel in Purgatorium animas, non autem in Tabellas abire. Unde, etſi nonnulli reperiantur qui iſta ſomnient, iſtud non nocet communi Sinarum fidei; ut inter Catholicos, ſi qui per errorem putent in ſacris Imaginibus virtutem aliquam eſſe, propter quam coli debeant, ſunt inſtruendi, & ab hoc errore revocandi.

Quintò. Pater Philippuccius citat pulcherrimum textum antiqui Commentatoris, qui vivebat anno poſt Chriſtum 235. Sic loquitur ille de Tabellis.

Tabella, eſt defuncti repræſentatio. (t) Idem addit ſe hactenùs Sinicos libros volutando reperiſſe, triginta diverſa iſtius tabellæ nomina, quæ omnia defuncti repræſentationem ſignificant.

(*t*) In Præludio cap. 2.

Porrò oſtendunt P. Brancati, P. Intorcetta, & idem Philippuccius litteram *Lim* in tabella non ſignificare animam intellectualem, neque litteram *Xim* Spiritum, ſed utrâque hâc litterâ ſignificari defunctum. De *Xim* patet ex dictis. De *Lim* ex mox dicendis. Sumitur vox illa vel adjectivè, vel ſubſtantivè. Adjectivè ſumpta ſignificat res ſpectantes ad defunctum, v. g. veſtes funebres *Lim y*, lignea capſula *Lim Kieù*, Portitores *Lim gin*, currus in quo reponitur ſarcophagus *Lim Kiù*, &c. ſubſtantivè verò, & ſine addito ipſe defunctus *Lim* dicitur, ſicuti & tabella ejus loco ſubſtituta.

Item littera *guêy* non ſignificat ibi ſedem, ſed repræſentationem, ſive rem ad aliud repræſentandum ſubſtitutam. Hoc præcipuè patet ex communi uſu Sinarum erigendi, & appendendi in parietibus tabulas, ubi viventium Benefactorum nomina inſcribuntur, vocanturque illæ *Sēm guêy*, id eſt, viven-

ventium hominum repræſentatio, non verò ſedes; neque enim tam ſunt hebetes Sinæ, ut putent homines viventes in illis tabellis reſidere, vel appenſos eſſe. Idem omninò dicendum de mortuis. In tabellis ubi nomen illorum, & dignitas ſcribitur, mortui repræſentantur, ſed non ibi reſidet illorum Spiritus juxtà communem Sinarum fidem, de qua eſt quæſtio. Nihil ergo in iſtis tabellis ſuperſtitionis ineſt: ac proindè ſapientiſſimè permiſit Sancta Sedes retineri has tabellas, quales ſunt, modò in altari propriè dicto non reponantur.

Enimverò Tabellarum inſcriptionem expreſſerat undecimo ſuo quæſito Pater Joannes de Morales, affirmando tabellas iſtiuſmodi vocitari *Sedes animæ*: atqui nihilominùs has tabellas Sacra Congregatio Decreto anni 1645. nullis detractis, aut adjectis Litteris, nullâ earum cautionum adhibitâ, quas adhiberi præcipit Reverendiſſimus Dominus Maigrot, permit-

ti poſſe declarat : non permiſſura utique , ſi voces illas per ſe ſuperſtitioſas , & idololatricas , ut eſſe pronunciat Reverendiſſimus , ipſa putaret . Sacram ergo Congregationem ſuo judicio apertè condemnat , id prohibens , quod illa conceſſit ; id ſacrilegum declarans , quod ipſa merè civile eſſe cenſuit.

Atque hujuſmodi judicium eſt , quod ab Eminentiſſimis Patribus confirmari poſtulat , hoc eſt , ut declarent fædè erratum eſſe à Sacra Congregatione , idque jam non in facto , ſed in jure ipſo , ſeu doctrina ad religionem pertinente . Tanti eſt ſcilicet cavere , ne Reverendiſſimus Dominus Maigrot deceptus ipſe in facto fuiſſe exiſtimetur !

OB-

OBSERVATIO II.

Quintum Mandati Caput de Tabellis in graves anguſtias Chriſtianos Sinenſes ſine juſta cauſa conjicit.

HOC loco dignentur Eminentiſſimi Patres animadvertere, quas in anguſtias Reverendiſſimus Dominus Maigrot miſeros Neophytos ſuâ illâ Declaratione conjiciat, Quidquid cæremoniarum in honorem vel Confucii, vel mortuorum apud Sinas inſtitutum eſt, id totum coràm vicariis, ut diximus, eorum tabellis peragitur. Ante has proſternunt ſe more patrio, tum ſuper menſa, ubi collocatæ ſunt, cereos atque odoramenta comburunt; denique ſtatis diebus ſexto quoque menſe carnem, vinum, fructuſque offerunt, quod ſolemne *Ci* appellatum eſt, Supplent videlicet hæ tabellæ locum pueri, vel ſtatuæ, vel al-

terius Imaginis, & inſtar perſonæ ipſius illi ritibus coluntur. Eaque cauſa fuit, cur Reverendiſſimus Dominus Maigrot vel omninò ſublatas voluerit, vel earum certè inſcriptionem mutari: quippe quâ fieri putat, ut Idolorum quoddam genus reverâ ſint: neque verò iſtud negari poteſt, ſi is eſt conſuetæ inſcriptionis ſenſus, quem ipſe autumat.

Hæc cùm ita ſe habeant, videndum quo pacto Sinenſes Neophyti poſt Mandatum Reverendiſſimi Domini Maigrot gerere ſe poſſint, ac debeant, quoties continget (quæ res eſt propè quotidiana) ut, aliquo ex cognatis, ex vicinis, ex amicis, ex Magnatibus vita functo, ad demortui domum eundum ſit de more, ibique peragenda omnia, quæ in quarto Patris Martinii quæſito recenſentur his verbis: *Primus modus eſt, cùm aliquis moritur, &c.* Quid aget, inquam, tunc Neophytus ex eorum numero, qui Re-

ve-

verendiſſimo Domino Maigrot ſubjecti ſunt? In totum abſtinebit illo charitatis erga ſuos, vel humanitatis erga cives, vel obſervantiæ erga Præfectos ſive Mandarinos officio? Si quis hoc facere animum induxerit, vertat ſolum neceſſe eſt, vel in ſolitudinem ſe ſe proripiat: adeò nullus erit, qui non illum tanquàm hominum ſocietate indignum averſetur. Numquid ergo conveniet cum Gentilibus ad cohoneſtandum funus? Atqui ante omnia procumbendum erit ter aut quater non coràm feretro ſolùm, ſed coràm illo, ut Reverendiſſimo Domino Maigrot viſum eſt, veri nominis Idolo, tabellâ nimirùm ſuperſtitioſis characteribus inſcriptâ, *Ling goey*, *Xin goey*, *&c.* Neque hoc tantùm, ſed ante hanc quoque tabellam ſuper menſa, id eſt, juxtà Reverēdiſſimum Dominum Maigrot ſuper altari propriè dicto expoſitam, cereos, & odoramenta ad comburendum offerre oportebit,

bit, more, ut ait Pater de Morales, inviolabilis obſervantiæ. Quò ſe vertet igitur Chriſtianus, ut Idololatriæ crimen effugiat?

Dicetne Dominus Charmot curandum; ut deleantur Litteræ illæ ſuperſtitionis indices, ne hanc probare videatur? Rectè iſtud quidem, ſi hoc pro ſuo jure præcipere, vel authoritate, precibuſve obtinere quoquo modo poſſit. Verùm quàm ſæpè in tota cognatorum, vel amicorum, aut clientum multitudine unus & alter duntaxat Chriſtianus erit, qui incaſſum tale quidpiam ſuadere conaretur?

Forſan putet aliquis, id quod inſinuare videtur ipſe Reverendiſſimus Dominus Maigrot pag. 120. poſſe tunc Neophytum in his officiis, muneribuſque exhibendis, ſuam, ut ajunt, intentionem dirigere non ad tabellam idololatricam, ſed ad cadaver defuncti, quod ex adverſo eſt. At dudum proſcripta eſt Sacræ Congregationis reſpon-

ſo

ſo anni 1645. hujuſmodi ſimulatio ; nec magis ſperet aliquis hac arte Idololatriæ noxam vitare, quàm ſi coràm Idolo *Chin hoam* procumbens, interiùs adorationem ſuam referat ad Crucem ſub veſte, vel inter flores deliteſcentem.

Eſſet fortaſſe qui criminis expertem futurum arbitraretur, modò palàm conteſtando denuntiaret, nullum à ſe ſuperſtitioſæ tabellæ honorem haberi. Sed ut in re ſimili optimè argumentatur Reverendiſſimus Dominus Maigrot, perindè hoc eſſet, ut ſi quis Chriſtianus ad Jovis Templum adductus conteſtaretur, ſe nullum Jovi cultum adhibere velle, interim dum ſponte ſua coràm ejus ſtatua procidens, & ipſius aræ thus imponens, dicta ſua factis refelleret.

Reſtat igitur, ut Sinenſibus Neophytis ad nullius hominis funus concurrere liceat, niſi ſi quando continget ut familiæ Princeps, Chriſtianus ſit, qui pro poteſtate conſuetam tabellæ inſcriptionem mu-

tari juſſerit ad eum modum, quem Reverendiſſimus Dominus Maigrot ſuo Mandato præſcripſit. Quod quàm rarum futurum ſit, in tanta Chriſtianorum præ Gentilibus paucitate nemo non intelligit.

Neque verò reſpondeat Dominus Charmot, non eſſe prohibitum Mandato Reverendiſſimi Domini Maigrot, ne mortuorum exequiis, ſed tantùm ne ſolemnibus illis Veris, & Autumni oblationibus Chriſtiani interſint. Hoc quidem ſcimus ita eſſe. Sed numquid ex arbitrio pendet Rev. Domini Vicarii, ut eadem res nunc ſacrilegii plena, nunc innoxia, & indifferens habeatur? Ut ſolemnes illas, quas modò dixi, cæremonias Idololatriæ damnaret, eâ capitali ratione motus eſt, quòd ante tabellam ejuſmodi peragantur, in qua præſens credatur eſſe mortui Spiritus, & ad quam idcircò, quæ illic fiunt, referantur omnia. Abſque hoc foret in his oblationibus nihil ſuperſtitionis, cer-

ne-

neret nihil quod ſacrificium redoleat, vel civilis cultûs modum excedat: cùm ſatis ſciat eadem omnia viventibus Mandarinis, atque aliis offerri; majori etiam aliquandò cæremoniarum apparatu. Propterea tanto ſtudio haſce tabellas velut Idololatriæ nidum, aut exterminare, aut purgare ſatagit Reverendiſſimus Dominus Maigrot.

Quomodò igitur hâc ejus perſuaſione imbuti Chriſtiani non horrebunt ad hujus Idoli conſpectum, quoties procumbere coràm illo, & odorum, ac cereorum munera offerre neceſſe erit? Eſto, hæc diſertè non prohibuerit Reverendiſſimus Dominus Maigrot: at prohibere debuit; at ea Chriſtianos docet, unde evidenter vel ſtupidiſſimi intelligant, certè unde meritò ſuſpicentur obiri talia ſine flagitio non poſſe. Ergo ſi ad eum aliqui, ejuſve Sodales conſulendi gratiâ acceſſerint, quid cauſæ dicturus eſt, quamobrem ſemel ſexto quoque menſe Idoli genus hæc ta-

tabella ſit, ut coràm illa nec genua ponere liceat, nec quidquam offerre; & tamen reliquo deinceps anno tum ipſa, tum quæ in ejus honorem aguntur, aut offeruntur, ſuperſtitione prorsùs vacent? Profectò nimium malè de Sinarum ingenio ſentit Reverendiſſimus Dominus Maigrot, ſi tam hebetes putavit, ut non viderent vel neutrobique, vel utrobique idololatricam tabellam eſſe.

Sed nòn vidit ipſe, ut exiſtimare par eſt, quid ex ſuo Mandato conſequens foret, aut in quas difficultates eos conjecturus eſſet. Certè ſi parumper advertiſſet animum, vel prohibuiſſet omninò quidquid fieri coràm hac tabella quocumque tempore conſuetum eſt; vel Sacræ Congregationis pietatem, ac prudentiam imitatus, pariter utraſque cæremonias tolerādas cenſuiſſet, tam quæ in quotidianis exequiis, quàm quæ bis uno quoque anno recurrunt. Aut enim, quod illa cenſuit, nihil eſt in his

ta-

tabellis ſuperſtitioſum , nec ullam mortuis divinitatem tribuit communis Sinarum opinio , quo pacto civiles duntaxat illorum eſſe ritus palàm eſt: aut ſi in utroque decepta fuit , quæ opinio eſt Reverendiſſimi Domini Maigrot , jam nullâ tergiverſatione defendi poteſt ab Idololatria quidquid coràm tabellis agi vidimus .

Sinas ergo in poſſeſſione recolendi ſuorum Parentum memoriam in Tabellis relinquamus : ſi quid autem aſtu Dæmonis , & hominum malitiâ , vel ignorantiâ à vera Religione alienum adhæſit per commixtionem Sectarum Idola colentium , doceamus Sectarios iſtos ad Fidem converſos quid retinendum , quid reſecandum ; atque adeò , demptis ſuperſtitioſis , reliqua permittamus , ut ait Sacra Congregatio : & ita Sectarii , qui ad veram fidem convertuntur , veram profitebuntur Religionem , nec deſerere videbuntur memorias ſuorum : quod poteſt gignere non

le-

levem cordis dolorem, ut dicebat Auguſtinus alibi citatus.

OBSERVATIO.

In ſextum, & ſeptimum Mandati Caput, de proſcriptis quibuſdam Propoſitionibus.

QUÆ hactenùs dicta ſunt, tam clarè demonſtrant Reverendiſſimum Dominum Maigrot in rebus Sinicis non eſſe adeò verſatum, ut facilè conjici poſſit, vel ſine ſufficienti cauſæ cognitione propoſitiones iſtas ex ſe proſcripſiſſe, vel ſaltem ex ſuaſione aliorum non multò fortè doctiorum, quibus aſſentiri cæco modo illum oportuit.

Expectamus à Miſſionariis Sinenſibus ea de re quid ſit Sacræ Congregationi exponendum. Dicam interim quid Pater Joachimus Bouvet, his auditis, cenſuerit.

Puto, inquit, *inveniſſe me viam cer-*

certam detegendi, & explicandi vera, ac legitima principia antiquæ Philoſophiæ Sinenſis in hoc omnium vetuſtiſſimo opere contentæ, quod à Reverendiſſimo proſcribitur. *Hæc autem ſic explicata, ad minimum æque ſana videbitur ac Philoſophia tum Platonis, tum Ariſtotelis. Unde demonſtrata ultimæ harum propoſitionum veritate, facillimum erit aliarum, quæ ad hanc pertinent, veritatem quoque demonſtrare, facta analyſi figurarum ænigmaticarum libri* y Ye-King, *ſub quibus Author involvit principia iſtius Philoſophiæ, cujus Sinæ hunc faciunt primum Inventorem. Vix autem*, inquit, *credi poteſt, quàm ſit utile ad Religionem Chriſtianam inter Sinas propagandam illis ſuadere, quod verum eſt, eam in multis conformem eſſe ſuæ illorum non recenti quidem, ſed antiquæ, & legitimæ Philoſophiæ*.

Quod ſpectat ad ſeptimum caput, cum ſit ſola exhortatio ad Ludi-magiſtros, ut ſint cauti in

prælegendis Sinarum libris ; diligenteſque in edocendis Chriſtianæ Fidei myſteriis , nihil eſt cur ibi diutiùs immoremur .

Omitti tamen non debet affectata illa Patris Philippi Couplet accuſatio ; temperare enim ſibi non potuit Reverendiſſimus , quin manifeſtaret omnibus cenſuram Philoſophiæ Sinenſis cadere in dictum Patrem , quippe qui doceat , inquit , hanc divinæ Legi contrarium nihil habere.

Non quæro nunc , quàm fideliter ex eo libro excerpta ſit propoſitio , vel quàm meritò damnata . Unum obſervo , hic quoque ſolam eſſe ignorantiam , quâ defendere ſe poſſit Reverendiſſimus Dominus Maigrot , ne in manifeſta vel acceptione perſonarum , vel etiam prævaricatione teneatur ; ſi provocent Jeſuitæ (quod jure ſuo facere poſſunt) ad Dominicanorum , Franciſcanorumque libros Sinicè vulgatos.

Exemplo ſit ille , quem ſuprà

la u-

laudavimus, Patris Antonii à S. Maria Sinicè inſcriptus, *Legis Dei, & Scholæ litterariæ conformitas*. Sinicæ vocis, *in*, quæ hic legitur ea vis eſt, ut ſimilitudinem exprimat, qualis eſt ſigillum inter & figuram ſigillo impreſſam. Huic deinde titulo reſpondet ipſe libri contextus, Inter alia notandum iſtud è pagina 16. Sinicæ editionis verbatim redditum. *Cœlum* (hoc eſt Deus) *aſſumpſit Confucium, ut eſſet * ligneum crepitaculum, (id eſt Præco ad doctrinam morum promulgandam.) Unde intelligitur, quòd Confucius præſideat doctrinæ, ejuſque promulgationi, hoc factum eſſe ſuperioris Cœli mandato.*

Paria, ſi etiam non majora, de Confucio, ejuſque Philoſophia prædicat Pater Joannes Baptiſta de Morales Sinico in opuſculo, cui ti-

* *Alludit ad vetuſtum Sinarum morem, cum lignei crepitaculi pulſu plebs ad morales ſentẽtias audiendas à Præfecto convocabatur.*

titulum hunc impoſuit : *Divini præcepti de Filiorum obedientia explicatio* . Illic enim paginâ 6. Sex , inquit , *volumina* (quibus Sinica doctrina continetur) *ſunt Legi Dei* (Tiēn chu) *conſentanea. Cælum* (Tien) *aſſumpſit Confucium, ut eſſet ligneum crepitaculum : ideò illum Legati inſtar miſit ad ſurdos excitandos , cæcoſque expergefaciendos* , (ipſa hæc Authoris verba ſunt) *ut ſi foret Dei Præcurſos* . Conferantur iſta nunc cum Patris Coupletii propoſitione damnata ; Eritne aliud diſcrimen, quàm quòd hæc Confucium , & Sinicam Philoſophiam laudat parciùs multò , ac circumſpectiùs ?

Injuriam fecerit Reverendiſſimo Domino Maigrot , ſi quis ita affectum animo putet , ut , ſi librum hunc geminum legiſſet , nihilominùs , utroque intacto , in Coupletium ſolum cenſuram exerceret ſuam . Cujuſmodi zelus hic foret, qui in librum exardeſceret latinè ſcriptum, paucis fortè Miſſio-

ſionariis, at nulli certè Sinarum cognitum, nulli legendum: interim dum alios Sinicâ conſcriptos lingua, Fidelium juxtà & Infidelium manibus tritos, proindeque multò magis nocituros, ſi ille noxius eſt, ne appellaret quidem?

Supereſt igitur quod diximus, ut id neſcierit Reverendiſſimus Dominus Maigrot, quod ante omnia ſcire illum decebat, cujuſmodi libris per ipſius Diæceſim de rebus fidei, morumque Neophyti, vel Catechumeni erudirentur: niſi malueris, quod certum videri debet ex dictis hactenùs, & probatis in Sinicis illum rebus, ac litteris, non adeò doctum, neque bonum eſſe de hoc argumento teſtem, nec judicem.

Hæc habui, quæ pro brevitate temporis Eminentiſſimis Patribus humillimè exponerem: longè plura, & diſtinctiora de hoc argumento legi poterunt, quando prodibunt in lucem compoſitæ ab ipſis Evangelii Miniſtris Apologiæ

contrà falſas Navarrettæ criminationes. Nondùm ad nos pervenerunt vindiciæ, quas à Sina expectamus in Mandatum Reverendiſſimi Domini Maigrot. In iis ſe Miſſionarii noſtri dubio procul purgabunt circà multa, quæ illis objicit Reverendiſſimus, quorumque veritas, vix detegi poteſt, niſi auditis partibus.

Intereà confidenter auſim arbitrari, eſſe abundè iis ſatisfactum, quæ fuerunt à me jam inde ab hujus operis initio propoſita: nempe primò. Tot reperiri in Mandato Reverendiſſimi Domini Maigrot defectus juris] reverentiæ erga Sanctam Sedem, æquitatis, prudentiæ, totque humani affectûs indicia apparere, ut vi illius Mandati nihil poſſit juridicè definiri circà ſeptem puncta, quæ continet, etſi aliundè conſtaret iſta remedio indigere. Secundò. Hæc tam parùm indigere tali remedio, ut licet iſtud Decretum extrinſecis nævis, ac defectibus careret, vi-

videatur temen quoàd ea, quæ benè præſcribit, inutile; quoàd plura, quæ malè prohibet, non minùs injuſtum, quàm periculoſum.

Quæ ſi ita quoque viſa ſint Eminentiſſimis Patribus, ſupplicamus humillimè, ut reſciſſo Reverendiſſimi Domini Maigrot Mandato, tot titulis nullo, Decretum Sacræ Congregationis ab Alexandro VII. approbatum, à Clemente Nono confirmatum, à Reverendiſſimo Domino Maigrot reformatum, iterùm Sanctæ Sedis authoritate confirmetur: Ut Patri Martino Martinio, cujus eximiæ virtuti, ac pietati per corporis incorruptionem tam illuſtre videtur Deus teſtimonium dediſſe, ſuam quoque famam reſtitui præcipiant tam injuſtè, quàm publicè violatam: Ut Evangelii in Sina Miniſtros, & inſtitutos ab illis Chriſtianos, tam falsò, quàm odiosè in dedecus Eccleſiæ Catholicæ Idololatriæ accuſatos ſolari dignentur, protegere, & à calumnia tam atroci

vindicare : Ut contemptis ridiculis planè, ac vanis timoribus, ſcrupuliſque, ut gravius nihil dicam, Reverendiſſimi Domini, Miſſionarios adhortari velint ad conciliandam ſibi viâ omni legitimâ, conſervandamque Sinici Imperatoris benevolentiam, & gratiam, quâ adjuti Chriſtianam fidem poſſint longè, lateque non modò per omnes tanti Imperii Provincias, ſed etiam per Civitates omnes Oppida, & Pagos, protegente Deo, atque incrementum dante, propagare. Denique ut praxim, ſententiamque de ritibus Sinenſium erga Confucium, Progenitoreſque politicis tam benè fundatam, tot rationibus, tantaque authoritate ſubnixam; non modò probabiliorem oppoſitâ, ſed & tutiorem, non ſolùm permittant approbari ut veram, ſed & jubeant ut forte unicè tutam adhiberi; ne claudatur in æternum ſine gravi, ſine ulla cauſa innumeris Sinis janua ſalutis, & fidei.

IN-

§§§§ §§§§§§§ §§§§§§§§§§§

INDEX

Rerum, quæ in hoc Volumine continentur.

OCCASIO diſſidiorum in China inter Miſſionarios. pag. 5.

Reſponſa Sacræ Congregationis univerſalis Inquiſitionis à SS. D. N. Alexandro VII. approbata ad Quæſita Miſſionariorum Societatis Jeſu apud Sinas anno Domini 1656. 13.

Mandatum Reverendiſſimi Domini Maigrot, quo Decretum Sanctæ Sedis anni 1656. reformatur. 33.

Obſervationes in Mandatum Reverendiſſimi Domini Maigrot à Domini Charmot notis, atque diſpunctionibus vindicatæ, pro tuendo Alexandri VII. Decreto de Ritibus, ac Cæremoniis Sinenſium. 48.

Obſervationes in primum caput Mandati Maigrotiani, *Quomodò ſit* *pun-*

nuncupandus Deus apud Sinas. 133.

Obſervatio I. *Deus in China compellandus eſt Sinicis vocibus.* 135.

Obſervatio II. *Ita Deus, ut plurimùm,* Tiēn-chū *eſt compellandus, ut poſſit quoque, cùm opus eſt ad Religionis bonum, nuncupari* Xām Ti. 143.

Obſervatio III. *Deus compellari poteſt, & debet* Tièn *in China.* 172.

Obſervationes in ſecūdum caput. *De Tabellis* Xing-Tiēn, *Cœlum, hoc eſt, Cœli Dominum colito.* 208.

Obſervatio I. *Notorium eſt in China per has voces* Xing-Tiēn, *non intelligi à Chriſtianis Cœlum materiale, ſed Cœli Dominum eſſe colendum.* 213.

Obſervatio II. *Voces illæ* Xing-Tiēn, *in Tabellis ipſis deſcriptæ, ad deſtruendā in Sinis ſive Idololatriam, ſive Atheiſmum, ſunt aptiſſimæ.* 224.

Obſervatio III. *Quot, & quantà mala immineant Chriſtianæ rei in China ex duabus illis primis Mandati Maigrotiani partibus.* 228.

Obſervationes in tertium caput. *De Informatione Sanctæ Sedis per Pa-*

Patrem Martinum Martinium. 236.

Obſervatio I. *Sententia Domini Maigrot contra Patrem Martinium fundamento falſo nititur, eſtque tam injurioſa Sacræ Congregationi, quàm eidem Patri.* 241.

Obſervatio II. *Confutantur rationes à Domino Maigrot allatæ pro tuendo ſuæ contrà Martinium ſententiæ fundamento.* 261.

Obſervationes in quartum caput. *De ſolemnibus Confucii Philoſophi, & Progenitorum Cæremoniis.* 324.

Prolegomenum I. *Difficile eſt quæſtionem facti, quæ præcipua eſt in hac cauſa, decidere. Unde hæc difficultas.* 326.

Prolegomenum II. *Demonſtratur hæc difficultas exemplo.* 332.

Prolegomenum III. *An quæſtio facti ſtatum quæſtionis conſtituat, & quænam illa ſit.* 344.

Prolegomenum IV. *Brevis, & recta expoſitio Rituum externorum erga Confucium Philoſophum, & Progenitores.* 348.

Obſervatio I. *Quæſtio facti de Si-*

nenſium Ritibus ſæpè, & diù examinata eſt. 362.

Obſervatio II. *Inſtitutum eſt examen de Sinenſium Ritibus à viris, qui diù, multùmque vixerant in China.* 369.

Obſervatio III. *Qui inſtituerunt examen de Sinenſium Ritibus, non modò diù vixerant in China, ſed erant in Sinicis ſcientiis, ac litteris optimè verſati.* 372.

Obſervatio IV. *Non modò Sinicis litteris fuerunt inſtructi, qui Sinenſes Ritus examinarunt; ſed etiam Philoſophicis, & Theologicis diſciplinis exculti.* 381.

Obſervatio V. *Examinatores Rituum non modo docti fuerunt; ſed & pii; multi ex illis Chriſti Confeſſores, & aliqui donis extraordinariis inſignes.* 388.

Obſervatio VI. *Non unus, aut alter, ſed multi planè hujus meriti Examinatores idem ſenſerunt de Sinenſium Ritibus.* 395.

Obſervatio VII. *Jeſuitarum ſententiæ circà politicos Sinenſium Ritus*

tus adhæſerunt multi ex acro Dominicanorum Ordine docti, & graves viri. 398.

Obſervatio VIII. *Viginti duo in Conventu Cantonienſi Chriſti Confeſſores, & Miniſtri Evangelii pro Chriſto exules ex variis Ordinibus poſt longum examen idem ſenſerunt de Ritibus Sinenſium.* 426.

Obſervatio IX. *Multi Sinenſes docti tam Chriſtiani, quàm Infideles ea de re interrogati reſponderunt, Ritus prædictos eſſe merè civiles, & politicos.* 437.

Obſervatio X. *Apparet ex libris Sinenſium claſſicis prædictos Ritus nihil in ſua inſtitutione niſi politicum, ac civile habuiſſe.* 443.

Obſervatio II. *Quàm levis ſit authoritas illorum, qui pro oppoſita ſententia citantur ab Adverſariis.* pag. 479.

Obſervatio XII. *Sacra Congregatio, & Apoſtolica Sedes benè informata, authoritate ſua ea confirmavit, quæ poterant in dubium ſuper ea quæſtione revocari.* 533

Con-

Concluſiones deductę ex duodecim obſervationibus in caput IV. Mandati Maigrotiani. 538.

Concluſio I. *Confucius Philoſophus non colitur in China ut Deus, nec Progenitores ut Numina.* 539.

Conclnſio II. *In adhibendis erga Confucium, & Progenitores Ritibus Alexandri VII. Decreto permiſſis, nullum eſt reſpectu Chriſtianorum, nec proximum, nec remotum periculum ſive Idololatriæ, ſive ſuperſtitionis, ne materialis quidem.* 567.

Concluſio III. *In prohibendis erga Confucium, & Progenitores Ritibus Alexandri VII. Decreto permiſſis, eſt grave, & proximum periculum peccandi contra charitatem Dei, & proximi, & contrà legem prædicandi Gentibus Evangelii.* 570.

Concluſio IV. *Prudens, æquum, ac religioſum fuit Alexandri VII. Decretum de Ritibus erga Confucium, & Majores tam permittendis, quàm omittendis.* 575.

Obſervationes in quintum caput. *De Tabellis Progenitorum.* 583.

Ob-